

<BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA EX MS VAT. LAT. 7309>

(EDITIO PROVISORIA)

LIBER CONSTITUTIONUM SEU ORDINATIONUM COLLEGII PAUPERUM SCOLARIUM
SAPIENTIAE FIRMANE EDITUS PER^{R.M.} D(OMINUM) DOMINICUM DE CAPRANICA

5 T(ITULI) SANCTE + (CRUCIS) IN IERUSALEM PRESBITERUM CARD(INALEM).
FIRMANUM VULGARITER NUNCUPATUM DICTE DOMUS FUNDATOREM (FOL.0)

<Proemium (fol.1r)>

10 Ad executionem igitur eorum, que Altissimo inspirante, mente
conceperamus procedentes, ut ex ordinatione et dispositione nostris plerique
ad diuini nominis laudem, orthodoxe fidei propagationem et reipublice
utilitatem, sane doctrine semina suscipere ac post illorum susceptionem in
15 agro Dominico plurima saluberrima germina producere possint, domus
nostras, in quibus habitamus in parochia sancte Marie de Aquiro, cum
omnibus iuribus et pertinentis suis, pro uno collegio pauperum scolarium in
studio Romano idest theologie siue artium ut infra capitulo decimosexto
determinabitur ac iuris canonici facultatibus perpetuis futuris temporibus
20 studentium simpliciter et pure propter Dominum nostrum Iesum
Redemptorem nostrum, a quo omnia bona nostra suscepimus, liberaliter
deputauimus et assignauimus ac in eis sub nomine et uocabulo Saluatoris ad
Sancta Sanctorum pro [] scholaribus et ereximus et instituimus, quod
secundum ordinem a nobis in sequentibus capitulis traditum, tam in
dispositione domus et rerum suarum quam etiam in receptione et regimine
25 scolarium uolumus per omnia gubernari. Ordinationem tamen ipsam et
statuta tam facta quam fienda in toto uel in parte emendandi, corrigendi,
mutandi, minuendi, interpretandi, (fol. 1v) declarandi et reformandi plenaria
inter alia potestate nobis reseruata edidimus et fecimus, que nunc
preteritorum experientia et moderni temporis cursu suadentibus illorum, ut
30 plurimum transmutato ordine et substantia in parte uariata, prout utilius
expedire credimus in melius reformantes et nomine Illius a quo cuncta bona
procedunt¹ sub infrascriptis modo et forma et ordine edimus, facimus
ordinationes et statuta. Que ab omnibus et singulis illa pro tempore
concernentibus sub penis, censuris et mulctis in illis contentis, uolumus,
35 precipimus et mandamus firmiter, inconcusse et inuiolabiliter obseruari. Et
ut nostra intentio circa predictum collegium ac regimen et conseruationem
eius efficacius impleatur, constituimus et deputamus eiusdem collegii
gubernatores et patronos atque protectores, magnificos conseruatores alme
Vrbis Rome et capita regionum nec non guardianos hospitalis imaginis
40 Saluatoris de Vrbe, qui pro tempore fuerint et episcopum Reatinum
germanum nostrum dum uixerit in humanis, exortantes eos atque rogantes
quantopere possumus, ut collegium ipsum, quod principaliter ad honorem

1

45 et gloriam predicti Saluatoris nostri et gloriose Matris eius erigimus et fundamus atque ad decorem et utilitatem alme Vrbis et eruditionem filiorum suorum protegant, defendant atque tueantur, illisque curam sedulamque sollicitudinem habere uelint.

De capella et ejus regimine. Cap. primum

In primis namque a diuinis honoribus sumentes exordium, uolumus et mandamus ut capella, quam sub inuocatione sancte Agnetis uirginis et martiris quondam, ut asseritur, primo in Vrbe constructam et quatuor
5 sanctorum doctorum ecclesie, uidelicet (fol. 2r) Gregorii, Ambrosii, Augustini et Hieronymi in eisdem domibus reparari et ordinari fecimus sub eisdem uocabulis, manens capella sit dicti collegii, pro cuius seruicio accipiantur duo capellani, qui sint bone fame, honeste et laudabilis conuersationis et uite, congruenter literati et bene docti in diuinis officiis,
10 quorum uterque habeat breuiarium et nullum beneficium optineat quod personalem residentiam requirat. Et cappellani predicti intelligantur perpetui, quousque uoluerint, nisi ex aliqua iusta causa uiderentur per rectorem et gubernatores ipsius collegii reuocandi, qui, uel saltem alter eorum, singulis diebus teneantur celebrare in dicta capella. Ita tamen quod
15 singulis secundis feriis pro anima nostra ac parentum nostrorum ac etiam omnium fidelium defunctorum missam celebrent pro defunctis, nisi festum aut duplex aut semiduplex uel solemne occurrat, quo casu missa defunctorum transferatur ad aliam diem eiusdem ebdomede, que a talibus solemnitatibus uacauerit.

De residentia in propria parrochia ad diuina officia audienda. Cap. secundum.

Et ut dicti scolares sacris pareant canonibus reuerenter et honeste ad ecclesiam sancte Marie in Aquiro, infra cuius parrochiam ipsum collegium situm est bini et bini uadant² ibique missam deuote audiant, que in illa celebretur, principaliter in omnibus diebus Dominicis anni et festis duplicibus insuper et in festiuitatibus sancti Dominici, sancti beati Francisci, beati Antonii de Padua et in tribus diebus ultimis maioris ebdomede et in die commemorationis omnium defunctorum, in quibus omnibus et singulis diebus missam in eadem ecclesia, ut dictum est, deuote audiant non hinc illic per ecclesiam uagantes quod impiorum est, de quibus scriptum est: in circuitu impii ambulant³ sed uel cantent simul cum clericis uel in choro modeste sedeant, attendentes officio diuino (fol. 2v) non uaniloquio uacantes⁴, quia domus Domini domus tantum orationis uocatur⁵ et esse debet, et ita in omnibus se ibi exhibeant, ut secundum Apostolum eorum modestia nota sit omnibus hominibus⁶, et sic eorum lux luceat, ut glorificent cuncti, uidentes in eis Patrem suum, qui in celis est⁷.

² Cf. Lc. 10,1: Mc. 6,7. Cf. 1 Cr. 26,17

³Cf. Ps 11,9

⁴ Cf. 1 Tim. 1,6

⁵ Is.56,7 – Cf. Mt. 21,13; Mc. 11,17; Lc. 19,46

⁶ 1 Ph. 4,5

⁷ Mt. 5,16

De processione facienda ad sanctum Ioannem et sanctam Mariam Maiorem. Cap.iii.

5 Vt patrono, cui singulariter ipsum custodiendum, protegendum et
regendum commendamus collegium et supposita eius, singulare etiam, ut
dignum est, impendatur obsequium, statuimus et ordinamus, quod, in die
dedicationis imaginis Saluatoris ad Sancta Sanctorum, patroni ipsius collegii,
rector et omnes et singuli scolares ad ecclesiam beati Iohannis in Laterano
10 accedant, ibique, ubi commodius potuerunt, missam audiant orationemque
in capella imaginis Saluatoris ad Sancta Sanctorum faciant. Statuimus insuper
quod prefati scolares in die Apostolorum Petri et Pauli et in die dedicationis
ipsorum ecclesias uisitare teneantur. A quo nullus, nisi infirmitate aut alia
legitima causa rectori et consiliariis nota, excusari possit.

De uigilia Natiuitatis Dominice specialiter celebranda. Cap. iiii.

5 Quia nox illa, in qua salus cunctis seculis nata est, speciali debet ueneratione celebrari, uolumus et mandamus ut uigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, hora competenti et debita, de nocte pulsetur ad matutinum, omnesque consurgant et in capella insimul congregati, matutinum deuote dicant et primas duas missas. Ad ultimam uero missam solemniter decantandam ad ecclesiam sancte Marie in Aquiro, modo supradicto uadant, et illa die ob tante Natiuitatis reuerentiam, omnes simul horas canonicas suis temporibus in capella dicti collegii dicant.

De ieiuniis ecclesiasticis obseruandis. Cap. quintum.

5 Cum nullus ingrediatur uiam salutis, nisi per obseruantiam mandatorum diuinorum, dicente Domino: ‚Si uis ad uitam ingredi, serua mandata‘⁸, omnes scolares diebus ad ieiunandum per ecclesiam statutis ieiunent; ceteris uero diebus qui ieiunium uoluerint obseruari, **ieiunent** prout sua sibi dictabit conscientia, nec ab hoc **bono impediatur**, cum potius ad ieiunia et abstinentiam sint exhortandi, scientes, quod omnis decor religionis christiane a moderamine gule sumpsit exordium.

⁸ Mt. 19,17

(fol. 3r) *De sacramentis penitentiae et eucharistiae accipiendis Cap. sextum*

5 Vt cognosci ualeat, uere quis sit ex ouibus Domini, quilibet dictorum
scolarum deuote saltem bis in anno archipresbitero beate Marie in Aquiro
uel alteri iuxta facultatem dicto collegio a Sede Apostolica concessam per
singulos scolares eligendum, pure et integre sua peccata confiteantur,
debitam desuper recipiendo penitentiam, nec non sacratissimum corpus
10 Domini nostri Iesu Christi bis in anno reuerenter suscipiant, uidelicet *in* festo
Natiuitatis eiusdem Domini nostri Iesu Christi et in die Resurrectionis
eiusdem et de his fiat fides ipsi rectori. Si quis tamen consilio confessoris
abstinere deberet, excusatus habeatur, cum secundum Apostolum probare se
debet homo, ut digne de sacratissimo pane illo edat et calice bibat. Nam qui
manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non diudicans
corpus Domini⁹.

⁹ 1 Cor. 11,29

. *De commemoratione facienda pro anima nostra. Cap. vii.*

Et quia dum in mundi huius instabilitate uersamur, orationibus semper adiuuari indigemus. Nam dum de preterito habeat unusquisque quod doleat et semper sibi supersit, de futuro quid timeat, semper orationum et
5 elemosinarum tabulis, uehi in hoc periculosissimo mari indigemus. Et quia etiam non de meritis nostris, sed de superhabundantia meritorum Iesu Christi Domini nostri et matris eius aliorumque sanctorum misericordiam in fine dierum nostrorum eiusdem Saluatoris nostri, cui predictum obtulimus collegium, consequi humiliter speramus, precibus etiam adiuti ipsorum
10 scolarium filiorumque nostrorum, quos iam ex nunc in caritatis uisceribus concipimus et nimio desiderio utilitatis reipublice Domino Deo nostro parturimus, rogamus eos et exhortamur in Domino, ut tam dum uixerimus (fol. 3v) in humanis, si predictum collegium in nostris diebus contingat ex toto formari, quam etiam postquam anima nostra ab hac luce migrauerit, pro
15 ea ad Dominum preces fundant orentque pro nobis, ut uel hic uiuentes, preteritorum remissionem, a futuris preservationem consequi mereamur uel diuinum iam in illa uita subeuntes iudicium in electorum sortem nos Dominus adscribere dignetur. Et specialiter uolumus et mandamus, quod
20 dies illa in qua Domino placuerit animam nostram ad se uocare, scribatur in fine constitutionum presentium et quibus anno et mense fuerit, ut maneat in memoria singulisque annis eadem die fiat anniuersarium pro anima nostra et parentum nostrorum, in quo ab omnibus scolaribus simul in capella officium defunctorum ordine debito decantetur uel submissa uoce dicatur, prout rectori uidebitur et missa, in cuius fine dicatur unum responsorium
25 defunctorum, cum aspersione aque benedictae, ut moris est. Et fiet de pane et uino illa die pauperibus elemosina secundum discretionem rectoris et consiliariorum.

De sermonibus audiendis Cap. octauum.

Et quia sapientie studiis predictam domum nostram et ipsos scolares in ea collegialiter uiuentes dedicauius; initium autem sapientie, ut sacra testatur scriptura, uerissima est discipline concupiscentia¹⁰ et cura discipline
5 dilectio et dilectio custodia est legum, custoditio autem legum, consummatio est incorruptionis, incorruptio autem facit esse proximum Deo, ut ergo predicti scolares Deo sint per mentis incorruptionem accepti et per obseruantiam legis sue a corruptione sint liberi et per concupiscentiam discipline legem custodiant et tandem ueram et incorruptam acquirant
10 sapientiam, que nec in maleuolam animam potest intrare nec in corpore subdito peccatis, uolumus et mandamus, quod singulis diebus (fol. 4r) solemnum festiuitatum, in quibus ad populum sermo fieri consueuit et in dominicalibus quadragesime et aduentus uerbum Dei audiant, eundo omnes simul ad orationes, que ad populum fient per predicatores fratres apud
15 sanctam Mariam supra Mineruam seu per alios religiosos in locis suis uel alibi, ubi rector et consilarii crediderint meliorem esse predicatorem. Cum uero aliquis ex scolaribus predicti collegii ad tantam, Deo auctore, peruenerit sufficientiam, ut onus proponendi uerbum Dei ad clerum uel ad populum ualeat suscipere et uoluerit in dicta capella uel alibi predictis scolaribus
20 sermone latino uerbum Dei proponere, ex corde eos hortamur tales audire et ipsos omnibus aliis preferre; ita ut per exercitium huiusmodi crescant de uirtute in uirtutem. Ipsi autem scolares per orationes, ieiunia et cetera superius instituta purgati et per auditionem uerbi Dei instructi a preteritis liberi et a futuris defectibus Deo adiuuante sint salui.

¹⁰ Cf. Ps. 110,10

Secunda pars. De institutione studii et ordinatione scholarium studentium in ipso collegio et aliis ad hoc pertinentibus et primo

De ordinatione librarie. Cap. nonum.

5 De diuino adiutorio confisi, cuius honori et reuerentie hucusque in
suprascriptis capitulis quantum nostra paruitas potuit studuimus: nunc ad
ordinationem studii predicti collegii et suppositorum eius accedimus et
primo a libraria sumentes initium uolumus et mandamus quod in camera,
que est in medio domorum nostrarum uersus orientem, que habet tres
fenestras ferreas, fiat libraria de libris nostris, quos eidem collegio dedimus
10 et damus, quos uolumus catenis (fol.4v) esse ligatos in scamnis, secundum
conuenientem ordinem, ita ut libri sacre theologie sint in una parte, libri
iurium in alia, libri uero philosophie in alia, libri gentilium et rhetoricorum
in alia, secundum quod rectori et scholaribus uidebitur expedire; ita ut per
15 omnia ille modus seruetur in libraria, qui seruari solet in aliis librariis
collegiorum et monasteriorum.

De librariis singulis annis instituendis. Cap. decimum.

Et ut per omnia ipsa libraria cum maiori sollicitudine seruetur, uolumus ut
singulis annis eligantur duo librarii ex scholaribus dicti collegii, qui habeant
curam specialem de libraria et conseruatione librorum et specialiter ipsi
5 teneantur quolibet sabbato respicere singulos libros, ne forte suadente
diabolo aliquis ex ipsis scholaribus aliquem librum uel partem eius furtiue
subtrahat. Numerent ergo libros et inspiciant si ex aliquo aliquid sit
sublatum, teneantque omnes scriptos in duobus inuentariis, quorum unum
sit penes ipsos librarios et aliud penes guardianos hospitalis sancti Ioannis.
10 Et numerum uoluminum et qui tractatus etiam et quot numero in his
contineantur, eo quod simul in uno uolumine multi de libris nostris uaria
habent opuscula. Sic igitur omnes uisitent diligenter, quod si, quod absit,
aliquid deficeret, fiat scrutinium, sicut debet, et debita ponatur diligentia pro
eius recuperatione et punitione sic peccantis secundum modum quem infra
15 dicemus. Teneantur etiam iidem librarii singulis sabbatinis diebus omnes
libros pulueribus excutere et per se uel per unum de seruatoribus domus, si
maluerint, ipsis uel altero eorum tamen presentibus, predictam librariam
scopa purgare; nam ex immundiciis terre exalant pulueres ad libros, qui
etiam libros destruunt. Vt ergo ipsa libraria, que precipuum munus et
20 ornamentum ipsius collegii est, durabilis sit, sic oportet ualde sollerter ut
illius ab omnibus et maxime (fol. 5r) a prefatis librariis specialiter ad hoc
deputatis sit habenda cura.

De clauibus librarie et licentia intrandi. Cap. undecimum.

Vt autem scolares ipsius collegii facultatem possint habere studendi et proficiendi, uolumus quod porta librarie habeat duas seras, quarum una
5 duas tantum claues habere debeat, quas librarii teneant, altera uero tot claues
numero habeat quot sunt scolares simul cum cappellanis dicti collegii, ut
unusquisque eorum possit habere clauem unam librarie; de duobus autem
capellanis dicti collegii, secus est, uolumus tamen quod postquam in seruitio
10 dicti collegii, modo superius determinato, per aliquot menses permanserint,
si fideles uideantur et studiosi et tales, de quibus uerisimiliter credi non
possit quidquam sinistrum, ex gratia habeant et quilibet eorum habeat unam
clauem. Interim autem quod non habent, poterunt librariam intrare cum
aliquo scolare. Iudicium uero de clauibus sibi dandis uel negandis pertineat
15 rectori et consiliariis; uolumus etiam quod catene ferree, quibus libri uincti
erunt, pendeant ex quadam forti ferrea uirga, que in fine habeat unam seram
et isto modo sint in quolibet scamno. Claues autem ipsarum serarum sint in
capsa communi, que tribus clausuris clausa erit, de qua infra dicemus.

De modo studendi in libraria et forendium licentia standi. Cap. xii.

Volumus insuper pro maiori custodia predictae librariae, quod librarii singulis noctibus post horam uicesimamquartam teneantur cum sera principali, cuius clauis penes eos manere debent, ut capitulo precedente ordinauimus, librariam claudere et de mane hora competenti aperire, ut ea remanente sub altera communi clausura, scolares intrare queant. Quotiens quoque continget scolares omnes (fol.5v) domum exire, siue ad intrandum et audiendum lectiones, siue ad sermones uel deuotiones, de quibus supra meminimus uel ob aliam quamcumque causam, teneantur similiter librariam claudere cum principali clausura ita ut noctu et in absentia scholarum sub duabus clausuris sit. De die uero, dum scolares domi erunt, sufficiat minor atque communis illa omnium clausura. Nulli tamen scolari uel capellano, cum clauis librariae sibi fuerit concessa, liceat de nocte uel de die in dicta libraria cum candela studere, sed de die si uoluerit in eadem aliquem librum transferre uel aliquas notulas reportare scripto uel quomodolibet ibidem proficere, utique possit, et id uolumus, et desideramus. § Libri autem librariae non quacumque occasione possint mutuari extra, sed grauissimis tantum personis et precedente magna instantia, ita ut si fieri possit honeste nullus librorum extra librariam educatur. Vbi uero fieri non possit, nullo modo educatur, nisi pro eo dimittatur in predicto collegio pignus duplo maioris ualoris, quod reponatur in archa communi sub tribus clauibus. Et prefigant rector et ipsi scolares terminum illi, cui concesserint, infra quem predictum librum teneatur restituere et super hoc fiat publicum instrumentum et tum de termino, tum etiam de perscrutando, utrum liber in aliquo fuerit factus deterior, sit cura librariorum. In ipsa etiam mutatione librorum uel omnium uel saltem duarum partium scholarum requiratur consensus, sine quo non compretetur; et cum consenserint, conueniant qui habebunt clauis archae, in qua debent stare clauis, quibus catene librorum clauis tenentur et simul librum illum educant in presentia consiliariorum collegii et librariorum et nullus alius abstrahatur. Si uero aliquis notabilis uir in predicta libraria uoluerit studere uel aliquid uidere, possit introduci per aliquem de scholaribus habentibus clauis et qui (fol. 6r) introduxerit eum teneatur stare cum eo et attendere, ne quid fiat ibidem, quod fieri non liceat. Et nullo modo eum in libraria solum dimittat, sed cum intrauerit, intret, et cum steterit, stet et simul etiam cum exiuerit ipse scholaris alter teneatur exire, ita ut nec alius ab ipsis scholaribus et duobus capellanis clauem possit habere quacumque dignitate uel gradu uel nobilitate gloriatur; nec etiam alius forensis in librariam possit introducere, nisi sit aliquis de numero predictorum [] scholarum. Capellanis autem ita clauis et licentia intrandi conceditur, quod nullo modo alios extraneos eis liceat introducere. Sed si quispiam introducendus sit, fiat hoc ab aliquo de scholaribus collegialibus predicti collegii. Preterea circa concessionem librorum extra domum, de qua supra mencionem fecimus, diligenter est attendendum, quod libri, qui communiter sunt in usu scholarum necessarii, nullo modo concedantur; sic

45 enim ipsi impedirentur a suo studio, cuius profectum nos principaliter
intendimus, ad quem etiam ipsum collegium dedicauimus. Et quia
theologos circa doctrinam sancti Thome, Bonauenture et Alexandri de Ales,
Egidii Romani ac Magni Alberti principaliter insudare uolumus, canonistas
uero circa doctrinam Innocentii, Hostiensis, et maxime in summa Io.(annis)
50 Andree et domini Antonii de Butrio, ut de hoc inferius faciemus mencionem;
uolumus et mandamus, quod nullo modo aliquis de libris theologie uel
philosophie sancti Thome, Bonauenture et Alexandri de Ales, Egidii Romani
uel Alberti Magni, extra librariam educatur; similiter etiam de libris
predictorum Innocentii Hostiensis, Ioannis Andreae, Antonii de Butrio,
55 nullus possit extra concedi. Nec etiam aliquis textus uel sacre scripture
cuiusmodi est Biblia, nec theologie cuiusmodi est Magister sententiarum, nec
philosophie naturalis, etiam moralis (fol. 6v)Aristotelis, siue antiquorum,
siue modernorum translationis, nec iuris canonici uel ciuilis; sic nulli etiam
60 scolari uel scolaribus dicti collegii nec alicui alteri persone, quantumcumque
amore uel deuotione sit iuncta collegio, liceat scriptorem aliquem extraneum
ad transscribendum aliquem librum ponere in libraria, etiam si scolaris
uoluerit semper stare cum eo, tum quia non poterit semper stare, quin
cogatur aliqua necessitate ipsum solum dimittere, tum etiam quia
impedimento esset aliis ibidem uolentibus studere et propter
65 indispositionem loci ad scribendum; et quia scriptor non posset esse ibidem
omni ex parte quietus nec habere omnia quibus sibi esset opus, eueniet quod
in aliis librariis euenire sepissime solet, ut uel liber atramento maculetur uel
carte plicentur uel aliquid huiusmodi, unde si etiam reperiretur scriptor, qui
de omnibus his firmam prestaret cautionem, nullo modo admittatur, quia
70 talis uel nullus erit uel unus ex mille, nec propter paucos debemus generale,
ut plurimum, periculum non uitare; si tamen aliquis de numero scolarium [
] per semetipsum scribere uoluerit, possit, ut superius dictum est.

De conseruatione librorum et multiplicatione eorum. Cap. xiii.

Si bona collegii Deo dispensante, in tantum excrescunt, quod ex eis sine detrimento predictorum scholarium in eis rebus, de quibus inferius ordinabimus, possint libri aliqui emi, potissime si fuerint necessarii, uolumus quod hoc fieri possit per rectorem et consiliarios, habito maturo consilio, tam super libro quam super pretio eiusdem, aliquorum doctorum uirorum in ea facultate, cuius liber emendus erit, de quo consilio, antequam emptio ipsa fiat, constabit guardianis hospitalis predicti. Et si talem contingat emere librum, statim cathena uinctus ponatur in libraria simul cum aliis, (fol. 7r) fiatque de eo uel eis sicut superius de libris omnibus sancitum est. Reparationi autem ipsorum librorum multum studeant librarii, in inquirendo quid opus sit fieri et notificando rectori et consiliariis, ipsi uero in adimplendo, que illi rationabiliter peragenda poposcerit circa libros, tum de religatione librorum, tum etiam de reparatione bancorum librarie; similiter etiam de reparatione domus ipsius, ne ex mala custodia per tectum intraret pluuia uel uentus per fenestras, uel intus nutriantur mures uel aliquid tale, quia his et similibus facillime libri destruuntur. Scholares etiam uel capellani teneantur claudere semper libros, quos aperuerint, similiter et fenestras et semper ianuam cum exiuerint claudant. Quod si aliquis forensis dimiserit aliquem librum apertum, ipsi scolari imputabitur ad penam, si ipse non claudat, qui ipsum introduxit; pena autem suo loco inferius taxabitur.

De presentationibus scholarium et ordine presentandi. Cap. xiv.

Statuimus et ordinamus quod scolares ipsi, quos numero [] esse uolumus, presententur per personas sequentes. Reuerendus pater dominus episcopus Firmanus, qui pro tempore fuerit, presentet unum; reuerendus pater episcopus Anconitanus unum; uenerabilis abbas sancti Saluatoris de Septimo prope Florentiam, qui etiam pro tempore fuerit, unum, dum tamen monasterium ipsum Abbatem ad ipsum intitulatum habuerit et in eo uigeat obseruantia regularis quemadmodum, diuina gratia concedente, per nos dudum extitit reformatum; et episcopus Reatinus germanus noster, dum uixerit in humanis, unum. Preterea magnifici domini de Columna de Generzano duos isto modo, quod princeps Salerni presentet unum et dux Genazzanarum presentet unum. Magnifici domini de Columna Laurentius et Stephanus de Peneste (fol. 7v) unum; magnificus dominus Iacobus de Columna filius quondam Antonii de Columna unum; Iulianus germanus noster unum, Antonius filius quondam Ioannis germani nostri unum, Agapitus filius quondam domini Bartholomei germani nostri unum. Item regiones urbis: regio scilicet Columne, duos; regio Triuii, duos; regio Montium, duos; regio Pinee, duos et regio Campi Martii duos et quelibet alia regio unum presentare possit¹¹. Ius autem presentandi isto modo succedat, quod ipso episcopo Firmano, Anconitano et abbati de Septimo prope Florentiam succedant sui successores canonice et in obedientia sedis apostolice intrantes; episcopo autem Reatino germano nostro succedat nepos noster Nicolaus apostolice sedis prothonotarius, filius quoque Antonii germani nostri dumtaxat dum uixerit in humanis. Dominis autem de Columna succedant filii maiores natu, etiam si minores contingat dignitate uel ecclesiastico ordine esse maiores. Et quia sepe contingit in una eademque domo iuniorum esse principalem in domo et seniore esse secundum, utpote si iunior est filius primogeniti, senior uero filius sit filii secundi filii uel tertii domus, uolumus hunc honorem deferre, ut semper prior, uidelicet principalis heres in predictis domibus presentare habeat. Et si, quod Deus auertat, in aliqua predictarum superstes non sit, domus dominorum de Columna de Generzano sibi inuicem succedant, ita ut si una deficiat, alia domus presentet; si uero ambe deficerent, ius presentandi pertineat castro de Generzano pro uno et castro Cauorum pro alio. Si uero domus dominorum de Columna de Penestre deficeret in iure presentandi succedat ciuitas Penestrina; similiter succedat in tali casu predicto domino Iacobo de Columna filio quondam domini Antonii castrum [] uel aliud castrum, secundum eius dispositionem. De domibus uero germani nostri Iuliani et nepotum nostrorum (fol. 8r) supradictorum, ita fiat, ut si una successore

¹¹ Praesentatio ergo tantum 21 alumnorum determinata est. Additur indeterminata praesentatio unius alumni de qualibet alia regione urbis. Attamen praesentatio episcopi Reatini limitata est eius uicis; praesentatio abbatis maneret, dummodo reformatio monasterii extiterit. Ergo 19 alumni, plus duo, plus numerus indeterminatus secundum regiones urbis.

40 deficiat, ius illius maneat apud duas alias, ita ut antiquior in qualibet illarum
domorum unum possit presentare pro se et ambo simul unum pro domo,
que defecerit; si uero deficient duo, maneat ius utriusque apud unum, si
autem omnes tres, ius presentandi omnes tres scolares maneat apud castrum
45 Capranice; quod autem antiquiorem uolumus succedere in presentatione sic
intelligimus, quod ille scilicet descendat per lineam masculinam et sit de
legittimo matrimonio natus. Scolares autem per regiones urbis presentandos,
ita uolumus presentari, ut scilicet caput regionis cuiuslibet simul cum
duobus guardianis et sindicis et tresdecim prefate societatis et hospitalis
50 sancti Saluatoris presentent illos uel illum, quos, uel quem presentaturi sunt
secundum numerum unicuique regioni superius a nobis concessum.
Hortamur autem atque rogamus omnes et singulos presentatores prefatos, et
maxime magnificos et illustres dominos de Columna, quatenus collegium
ipsum, quod in honorem et utilitatem alme Urbis Rome nec non et terrarum
et **dominiorum** suorum eruditionemque tum Romanorum iuuenum, tum
55 subditorum suorum erigimus et fundamus, protegere, defendere atque tueri
dignentur, ut eorum protectione et fauoribus in dies meliora incrementa
suscipiens, predictae alme Urbis et dominiis predictorum dominorum
uberiores Deoque et hominibus acceptabiliores fructus efficiat. § Prohibemus
et ordinamus quod predicti presentatores de una domo non presentent
60 plures, ne parcialitates uel **lites** sint in collegio ratione partialitatis
consanguinitatisue, propter quod uolumus, quod duo consanguinei infra
tertium gradum inclusiue in predicto collegio nullo modo recipi possint,
preter quam de domo nostra, de qua tot presentari possint, quot reperirent
(fol.8v) idonei. Volumus quod episcopi et abbas supradicti presentare
65 possint scolares de suis diocesibus, abbas uero de diocesi Florentina, in qua
monasterium prefatum Septimi situm est; domini uero de Columna
supradicti possint presentare scolares de suis castris et germanus noster et
nepotes nostri et eorum successores possint de Capranica presentare. Et si
non reperirentur idonei, eo casu possint de aliis castris dictorum dominorum
70 uel de ciuibus Romanis, prout eis habito maturo consilio melius uidebitur.
Capita autem regionum Urbis uolumus quod non possint presentare, nisi
natos in Vrbe. Itaque ergo scolares sint uel nati Rome uel de diocesi
Florentina uel Firmana uel Anconitana uel de terris supradictorum
dominorum de Columna, que nunc sunt sub eorum dominio uel in posterum
75 erunt. Et omnes possint presentare Rome natos et **inter** se inuicem unus de
diocesi uel terra alterius possit presentare. Capita tamen regionum Urbis non
nisi Romanos, scilicet natos in Vrbe presentare possint, ut Romana ciuitas
maiores pre aliis utilitatem ex predicto collegio consequatur. Item si
contingat aliquem scolarem uel ab hac luce migrare uel recedere a collegio
80 uel terminum ibidem standi compleuisse, presentatio successoris spectet ad
illum, per quem ille fuerat presentatus. Ita et unusquisque presentatorum,
dum suum presentatum habet in dicto collegio, non possit aliquo casu

alterum presentare, nisi dumtaxat in illo casu, si alter scilicet non remaneret in domo superstes. In quo casu fiat, ut superius institutum est.

De intimandis uacationibus scholarium presentatoribus et supplenda negligentia presentandi. Cap. xv.

Et ne negligentia presentatorum collegium uacare contingat, uolumus, quod cum locus alicuius scholaris (fol. 9r) uacauerit in dicto collegio, rector cum consiliariis teneatur infra mensem intimare illi, ad quem spectabit illius presentatio, qui si fuerit ex Romanis ciuibus, habeat terminum presentandi duorum mensium; si uero extra urbem fuerit, habeat quatuor menses, in quo tempore presentator ipse presentet idoneum examinandum, ut inferius dicitur. Qui si repertus fuerit insufficiens, alium possit presentare, ut tandem magis idoneus ab examinadoribus assumatur. Intimatio autem uacationis, si in Vrbe sit fienda, capitibus regionum ad que uel ad quod pro ea uice pertineat, presentatio fiat per rectorem et consiliarios dictis capitibus uel capiti regionum et prefatis guardianis, sindicis et xiii societatis hospitalis supradicti. Si uero intimatio fienda sit dominis de Columna supra memoratis uel successoribus eorum aut germano et nepotibus nostris uel eorum successoribus in Vrbe existentibus fiat similiter per rectorem et consiliarios coram notario et testibus, si quidem intimatio extra Urbem fienda sit, rector si aliter facere nequeat, transmittat unum cum moderatioribus expensis, quibus poterit. Soluat autem predictas expensas scholaris presentandus, qui nullatenus admittetur quousque persoluerit. De intimatione autem missus predictus fidem debeat reportare et si aliquis predictorum presentatorum infra terminum supradictum non presentauerit, guardiani supradicti hospitalis, rector et scolares ipsius collegii eligant aliquem ex ciuibus in Vrbe natis, cui maior pars ipsorum assentiat et presentet illum examinadoribus et examinatus recipiatur, si repertus fuerit idoneus. Deinde cum occurrat ad hoc (fol. 9v) persona idonea, sine ulterioribus expensis rector et consilarii nomine totius collegii scribant predicto presentatori qualiter ipsi elegerunt et quem elegerunt, eo quod ipse infra terminum non presentauerat. Si uero fuerit in Vrbe, ipsi sibi loquantur cum omni dulcedine; ita ut nec ille reputetur ius suum perdidisse nec collegium uacet, sed ipsi scolares non suo nomine, sed illius presentatoris ad quem spectabat presentatio, intelligantur presentasse et sub nomine illius predictus scholaris collegio incorporetur, quo discedente uel decedente iterum ipse presentator possit presentare ac si non defecisset. Et uolumus, quod quandocumque in istis ordinationibus de scholaribus mentionem aliquam facimus, non intelligatur de cappellanis nec de seruatoribus, sed solum de istis [], qui modis supradictis et a personis iam determinatis habent presentari.

Quibus scientiis possint studere et quibus doctrinis in illis. Cap. xvi.

Et quia tota ecclesie sancte Dei perfectio in contemplatione et actione uersatur, contemplatio autem in sanctarum scripturarum diuinorumque operum, ut possibile est, inuestigatione consistit; actio uero in conseruatione
5 iustitie et equitatis inter fideles et in refrenatione malorum, promotione bonorum et discretione cunctorum modorum agendi, quae omnia plenissime sacris canonibus comprehensa sunt, ex quibus apparet rempublicam premio et pena gubernandam fore. Volumus et mandamus, quod scolares predicti
10 sint solum scolares theologie uel artium et iuris canonici, ita quod media pars eorum, silicet numero [] studeant sacram theologiam uel artes et alia medietas scilicet numero [] studeant in iure canonico, (fol.10r) ita tamen quod si quando inuenirentur tot numero iam in artibus instructi atque idonei studio theologie quot requiruntur, nullatenus ad studium artium quispiam
15 alius admittatur; si uero non reperiantur tot, suppleatur numerus eorum de iuuenibus uolentibus dare operam artibus, de quibus aliquo modo possit uerisimiliter presumi, quod post studium artium, ad studium theologie uellent conscedere. Et ut de utraque facultate nunquam deficient in predicto collegio scolares, uolumus, quod si contingat, uel per obitum uel recessum alicuius uel aliquorum numerum scolarium unius facultatis excedere
20 numerum scolarium alterius facultatis, de illa facultate, que excederet, nullus recipiatur; etiam si numerus scolarium, qui studere debent in ea non sit completus, quousque scolares alterius facultatis sint equales numero cum scolaribus illis. Quod si de utraque facultate numerus reperiat equalis, non tamen sint adhuc [] quos uolumus esse, sit in optione presentatoris uel de
25 una uel de alia facultate presentare, ita ut uel semper iste facultates sint equales scolaribus uel nunquam una possit aliam excedere, nisi in uno. Qui tamen excessus non multum durabit, quia uolumus quod statim prouideatur de scolaribus, ut numerus compleatur et domus non uacet, ut in capitulo precedenti expressum est, nisi post terminum quatuor aut sex mensium,
30 scolaris facultatis illius, de qua deficit, non reperiat, eo casu possint hi, ad quos pertinet, alium presentare. Preterea quoniam uarietas opinionum uariat etiam imbecillem intellectum, quo fit, ut qui sua ingenia dispergunt per multos doctores in nullo solidentur, certis ingenium memorari et **nutriri** oportet, si uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat, nusquam est,
35 (fol. 10v) qui ubique est, uitam in peregrinationem agentibus **euenire solet**, ut multa hospitia habeant, amicitias nullas, Seneca ait¹². Volentes ergo quantum possumus prouidere, ordinamus, quod scolares theologie doctrinam sancti doctoris Thome de Aquino, Bonauenture, Alexandri de Ales, Egidii de Roma et Alberti Magni legant, studeant et sequantur.
40 Canoniste uero doctrinam Innocentii, Ioannis Andree et domini Antonii de Butrio; alios uero pro sui maiori eruditione tam theologi quam canoniste

¹² 000

uidere possint, sed in lectionibus et conclusionibus, disputationibus uel
responsionibus sententias istorum teneant. Cum tam illi in theologia quam
45 isti in iure canonico profundissimi sint et magne auctoritatis, extensi quoque
in illis materiebus omnibus ad quas humana fragilitas mentis aciem in illis
facultatibus ualet extendere.

De examinadoribus predictorum scolarium et etate et qualitate recipiendorum. Cap. xvii.

Postquam uero ipsi scolares fuerint rectori et consiliariis presentati, uolumus quod examinentur per episcopum Reatinum germanum nostrum dum uixerit in humanis, si presens fuerit in Vrbe et post decessum eius per Nicolaum nepotem nostrum apostolice sedis prothonotarium et per priorem monasterii sancte Marie supra Mineruam et guardianum sancte Marie in Araceli, qui pro tempore fuerint uel alterum eorum. Quod si examinandi studere debent in artibus uel in iure canonico, prefati examinadores secum in examine assumant unum magistrum peritum idoneum in gramatica; si uero examinandi studere uelint in theologia, tunc in examine assumant unum magistrum in theologia aut in artibus peritum et idoneum, (fol. 11r) et eos quos prefati examinadores, cum prefatis approbauerint, prefatus rector et consilarii sine aliqua exceptione in collegio admittere et incorporare teneantur. Sunt autem scolares ipsi examinandi de etate, moribus, scientia et ordine: de etate sunt examinandi, ut ad minus compleuerint quindecim et ad plus triginta et quinque. Ita quod nec iunior, nec senior quisquam recipi possit. De moribus quidem sunt examinandi utrum sint bone fame, pacifici et honesti, quia nec diffamatus, nec litigiosus, nec etiam inhonestus in aliqua congregatione sunt recipiendi. In scientia uero theologi examinentur hoc modo, quod si fuerint admissi ad studium artium, ut ad studium theologie altius peruenire ualeant, sint saltem boni gramatici, si tamen et logici reperiri possent, illi preferantur, et si phylosophi, illi quoque omnibus preferantur. Si uero aliqui sunt, qui immediate theologiam studere uellent, examinentur utrum in logica, philosophia et methaphysica sint sufficienter instructi, ne uacantes theologie sine necessariis fundamentis, tempus inutiliter perdant et locum, qui alteri scolari forte utilius deseruiret, impediunt. Accipiendi uero ad studium iuris canonici sint ad minus boni gramatici; et nec theologus dimissa theologia studeat iura uel alteram scientiam, nec similiter canonista, sed unusquisque permaneat in uocatione sua, qua uocatus est. Preterea nullo modo religiosus cuiuscumque ordinis uel religionis existat possit in scolarem dicti collegii accipi, sed omnes sint clerici seculares, ordinis simpliciter sancti Petri sine aliqua alia mutatione in professione uel habitu. Nullus etiam scolaris ad studium theologie uel iuris (fol. 11v) canonici in dicto collegio recipiatur, nisi fuerit ad minus in minoribus ordinibus constitutus et ne post studium philosophie ad medicinam uel iura se conferat, uolumus ad hoc studentes arctari, ut post triennium integrum in collegio in primis temporibus uenientibus ad minus subdiaconatus ordinem in artibus suscipere teneantur.

De tempore quo poterunt permanere in Collegio. Cap. xviii.

Ne aliquis dictorum scolarium ad suum debitum peragendum studium negligens, uel remissus reddatur, si in dicto collegio putauerit se perpetuo permansurum, quilibet ex dictis scolaribus usque ad septennium inclusiue a die ingressus sui in prefato collegio continue computando in illo locum habeat ac eius beneficiis utatur, et particeps fiat. Si tamen hi, qui ad studium theologie assumendi sunt, non fuerint in philosophia instructi, ita ut mox possint theologie insudare, tales possint stare per decennium et hoc determinabunt examinatores, cum ipsum ante introitum collegii examinant, dantes ei expresse terminum decem annorum standi in collegio; canoniste uero habeant unum septennium, ut dicitur; eo uero decurso, ipso facto remotus et separatus intelligatur et existat, atque alius modo, forma et ordine suprascriptis in eius loco surrogari possit et debeat. Et si ante decursum huiusmodi septennium in sacra pagina uel in iure canonico magistratus siue doctoratus insignia aliquis receperit, eo casu post mensem a die receptionis gradus huiusmodi continue computando, etiam infra septennium predictum a predicto collegio priuatus intelligatur et existat, excepto si quisquam pot septennium in theologia uel post acceptum gradum uellet audire canonicum ius uel canonista uellet audire post septennium suum uel gradum (fol. 12r) doctoratus susceptum theologiam et in ea studere. In quo casu uolumus quod possint stare tribus annis ad plus, ita tamen ut actu theologus illis tribus annis canones audiat uel canonista theologiam audiat, ne hoc, quod indulgemus eis ad utilitatem, ipsi accipiant in fraudem.

De electione Rectoris et Consiliariorum. Cap. xix.

Singulis annis in festo conuersionis sancti Pauli apostoli, statim post missam in capella collegii cum commemoratione de Sancto Spiritu, cui interesse debeant cuncti scolares ipsius collegii, eligantur siue nominentur
5 ex eis tres, qui fideles, prudentes, discreti et bone fame reperiantur et laudabilis conuersionis, ex quibus tribus unus postea assumatur in rectorem dicti collegii et gubernatorem, cui electioni soli scolares interesse habent et in dictos tres saltem due partes scolarium dicti collegii debent concordare, qui sic electi siue nominati sine mora presententur in die
10 sequenti reuerendo patri episcopo Reatino germano nostro dum uixerit in humanis, si presens fuerit in Vrbe uel in eius absentia et post decessum istius episcopi Reatini germani nostri Nicolao prothonotario nepoti nostro et post eius decessum uel in eius absentia, presentatio fiat guardianis, sindicis et tresdecim discretis imaginis hospitalis Saluatoris ad Sancta Sanctorum, qui
15 scilicet episcopus uel in eius absentia et post decessum ipsius predictus Nicolaus et ipsi guardiani, sindici et tresdecim predicti hospitalis inquisitione facta, utrum ad minus a duabus partibus ipsorum scolarium fuerint electi. Similiter etiam de eorum grauitate et prudentia, que ad huiusmodi regimen requiruntur, eum quem ex dictis tribus magis idoneum
20 iudicauerint, habeant confirmare; quod (fol. 12v) si neutrum ex dictis tribus electis siue nominatis sufficientem reputauerint, illis reiectis, scolares dicti collegii alios tres eligant siue nominent, modo et forma supradictis, et postea presentent et in confirmatione alterius eorum seruetur, ut est superius ordinatum, totiensque eligant siue nominent, donec per confirmatores alter
25 ex electis fuerit confirmatus. Et sic electus et confirmatus iuramentum prestat, ut infra dicitur, et usque ad annum perduret, ita ut in die proximo precedente diem conuersionis sancti Pauli inclusiue sit et censeatur ipso iure priuatus, nec infra triennium ad dictum officium rectoratus possit reeligi siue renominari aut assumi, nisi forte omnes et singuli scolares dicti collegii,
30 nemine discrepante, in eum consentirent et prefati confirmatores pro utilitate collegii ipsum duxerint confirmandum. Quod si propter eius prudentiam et sollertiam circa regimen collegii iterum fuerit, ut supra dicitur, siue electus siue nominatus et confirmatus, nullo modo possit ultra triennium successiue et continue ad dictum officium rectoratus reeligi siue nominari et confirmari.
35 Et ut in ipsa electione rectoris sit qui presideat, uolumus quod consilarii illa die non eligantur nec sint priuati, sed durent usque ad diem sancte Agnetis secundo immediate sequenti exclusiue, ita ut in die precedente inclusiue sint priuati et in ipsa die sancte Agnetis secundo eligantur et qui a maiori parte scolarium fuerint electi, eo ipso et confirmati censeantur; et sint quatuor, qui
40 assistant rectori in omnibus agendis et quorum consilio regat domum atque gubernet, uel secundum consilium maioris partis eorum; quod si duo eorum ad unam partem essent et duo ad aliam, erit in conscientia rectoris, (fol. 13r) ut eligat saniozem et illa, ad quam declinauerit ipse, preualebit. Teneaturque rector predictis confirmatoribus supradicta, in aliquo festo uel cum primo se

45 obtulerit oportunitas denuntiare, quos ipse rector consilio et uotis maioris
partis scolarium acceperit in consiliarios; nullusque infra biennium post
depositum officium eligi possit consiliarius, nisi in eum omnes, nemine
discrepante, consentirent. Sed quia istum ordinem oportet habere
50 principium, si nos, ut optamus, predictum collegium in uita nostra, Deo
adiuuante, ordinauerimus, nos ipsi primum rectorem et primos consiliarios
instituemus. Si uero Deus non permiserit, uolumus, quod primus rector et
primi consilarii ponantur per episcopum Reatinum germanum nostrum,
quod si ipse fuerit ab hac luce etiam sublatus, ponantur per predictum
55 Nicolaum prothonotarium nepotem nostrum, et si etiam ipse uita functus sit,
ponantur per predictos guardianos, ita tamen quod nec rector nec
consiliarius possit esse, nisi sit actu scolaris de numero scolarium et ipsius
collegii.

De matricula conscribenda. Cap. xx.

Ille, qui primus fuerit in rectorem electus, faciat illico post suam electionem matriculam omnium scolarium, in qua nomina et cognomina eorum sint diligenter conscripta. Similiter in qua facultate sint scolares
5 admissi in ipso collegio. Item tempus incorporationis eorum, annum, mensem et diem. Item, si aliquis gradum assumat, in qua die, anno, mense suscepit illum, ut ex his possit cognosci terminus septennii cuiuslibet. Similiter et terminus triennii pro uolentibus audire theologiam de canonistis uel canones de theologis, similiter ut possit cognosci, quod post
10 graduationem alicuius (fol. 13v) ibi amplius non stet, quam superius fuit pretaxatum.

De iuramento exigendo a rectore et singulis scholaribus. Cap. xxi.

Rector autem in manu confirmatorum supradictorum corporaliter in presentia scholarium prestabit iuramentum, quod omnia et singula statuta et ordinationes prefati collegii fideliter obseruabit et quod erga officium gubernationis scholarium et conseruationis ipsius collegii et bonorum eius fideliter et etiam diligenter quantum poterit se habebit et pro uiribus utilitatem et commodum ipsius collegii procurabit et inutile uitabit. Consilarii uero mox, ut fuerint electi, simile iuramentum corporaliter in manibus rectoris et in presentia omnium scholarium prestabunt. § Scholares uero, cum admittuntur ad collegium, iurabunt de duobus, primum quod ipse iurans non habet annuatim in redditibus uel patrimonialibus uel ecclesiasticis uiginti quinque florenos auri de camera; secundum, quod existens in predicto collegio statuta collegii seruabit, rectori obediet in licitis et honestis et maxime circa ordinata per nos, pro communi bono collegii laborabit pro uiribus, consilium secretum ipsorum scholarium circa ea, que ad commoditatem ipsorum uel ad confirmationem domus spectabunt, nulli reuelabit, nisi de ipsorum consensu expresso uel maioris partis, ut commodius ore atque opere poterit, et generaliter, quod omne bonum, conseruationem et augmentum etc. ipsius collegii, quoad poterit, procurabit. Et iurabit iterum, quod postquam fuerit extra collegium uel per recessum uoluntarium, uel per complementum septennii, semper collegium pro posse defendet et eius procurabit augmentum. Insidiatores contra illud ipsis rectori (fol. 14r) et scholaribus et ipsis guardianis hospitalis ac etiam aliis, quos crediderit posse iuuare, deteget. Iuramenta autem huiusmodi fiant uerbo tantum, et uitantur expense. Quod si quis, Deo fauente, ad tam pinguem fortunam ueniet, uel beneficium uel patrimonium uel donationem consequeretur, a quo singulis annis uiginti quinque florenos auri de camera ad minus possit habere, eo facto post annum a tempore, quo adeptus fuerit pacificam possessionem predicti beneficii, patrimonii uel donationis, sit priuatus a Collegio; cum ipsum pro pauperibus tantum instituamus, nec tali debet esse graue dare locum pauperi Iesu Cristi, a quo et ipse receperit, ut iam pauper non sit; factus diues diuitiis ad minus sufficientibus ad uitam. Talis autem sic exiens et a collegio discedens; similiter et qui per complementum septennii recesserint, siue per receptionem gradus, ut supra institutum est, lectum, lecticam, scamma, arcam, mensam et huiusmodi, que intra collegium etiam si de propriis pecuniis emerint, illa in ipso collegio relinquunt; nam cum talia pauci ualoris sibi esse possint, magne tamen utilitatis poterunt esse collegio et pauperibus scholaribus eiusdem.

De ordine scholarium et cappellanorum inter se. Cap. xxii.

Et quia ubi ordo non est, confusionem necesse est esse, uolumus quod ipsi scolares ordinentur, tam in sedendo, quam in processionibus eundo, quam etiam in consilio dando et in omnibus aliis secundum ordinem temporis sue receptionis in collegio, ita ut prior tempore sit potior honore, 5 seruat tamen gradibus sequentibus, uidelicet, quod rector omnibus preponatur, etiam si fuerit omnibus tempore ultimus, hic enim honor est exhibendus (fol. 14v) officio: post rectorem autem sint consilarii, inter quos seruetur ordo temporis, quod antiquior in collegio sit prior honore; post 10 consiliarios sequantur duo capellani, qui a rectore et consiliariis debent precedi ratione officii, sed ipsi omnes alios debent precedere ratione ordinis; inter ipsos etiam duos capellanos ordo seruabitur temporis; deinde graduati debent precedere non graduatos, utpote licentiati baccalarios et baccalarii simplices scolares; et licet magistros in theologia et doctores in iure canonico, 15 susceptis gradibus, uolumus a collegio priuari, non est hoc intelligendum de magistris in artibus, si uel ius canonicum uel theologiam uoluerint studere. Tales ergo magistri precedant simplices scolares, non autem aliquos alios graduatos, quia in scola theologie maior reputatur unus baccalarius in theologia, quam unus magister in artibus scholaris in theologia; et sic de 20 scolaribus iuris canonici, nisi talis magister esset etiam graduatus in theologia uel in iure canonico. Si uero ex ipsis scolaribus aliquis fuerit sacerdos, precedat non sacerdotes; sic igitur non graduatos precedant graduati, non ordinatos in sacris ordinibus precedent ordinati, non sacerdotes precedent sacerdotes et omnes precedent duo capellani et illos 25 quatuor consilarii; et inter hos omnes seruabitur ordo temporis et omnes simpliciter rector precedet. Intelligendum est autem, quod qui est primus in sedendo uel loquendo, debet ultimus esse in eundo processionaliter. Et quia modus istorum honorum communis est et notissimus omnibus, uolumus quod sic seruetur, sicut consuetudo habet communis, retentis tamen semper 30 gradibus et ordine temporis supradictis. Quod si simul contigat duos scolares recipi, alterum theologum et alterum canonistam, uel simul duo graduati, unus in (fol. 15r) theologia, alter in iure canonico uel in quocumque alio casu, ubi prioritas temporis non possit attendi, canonista, ut canonica iura conseruet, semper theologos sibi preponat et illi precedant. Quod autem 35 diximus hic de ordine capellanorum, seruetur in mensa, in sedendo, in choro uel capella et in processionibus et aliis, non autem in consiliis collegii, quibus interesse eos non uolumus, sed solum scolares.

*De lectionibus audiendis et magistro in theologia suscipiendo et exercitiis habendis.
Cap. xxiii.*

Lectiones ordinarias, que in studio urbis legentur, teneantur ipsi scolares, unusquisque in sua facultate audire attente et sine intermissione, teneantque
5 libros, qui legentur pro illo tempore, sed quia in urbe studium theologie non multum uiget, uolumus quod sit in dicto collegio aliquis notabilis et doctus magister in theologia, honeste fame et uite, secularis clericus, si fuerit possibile, sin autem sit religiosus, qui sit bene instructus in doctrina sancti Thome de Aquino, qui uel stet in dicto collegio continue uel, competenti sibi
10 assignatio salario, ut melius uidebitur rectori et consiliariis, stet extra et ueniat quotidie ad predictum collegium bis et legat et disputet modo qui sequitur: Legat enim predictis scolaribus theologis bis in die aliquam partem Summe sancti Thome uel aliquem alium librum eiusdem doctoris, quem duxerint eligendum. Preterea singulis sextis feriis, unus de predictis scolaribus respondeat de una questione ipsius libri, quem legerint, ponendo
15 conclusiones articulorum illius questionis tot numero, quot magistro uidebuntur et arguant ceteri pacifice et sine tumultu propter inuestigationem ueritatis. Magister autem stet in tota disputatione et informet singulos, prout uidebitur expedire et sic quilibet respondeat in septimana sua et completo numero; deinceps primus iterum respondeat et sic faciant circulum; similiter quoque et canoniste faciant singulis septimanis una die uel si conuenientius uidebitur rectori et consiliariis, una septimana disputent theologi et alia canoniste. Rursum quia dies intrandi occupari non debet, canoniste maxime eligant sibi ad disputandum diem aliquam in
25 septimana, qua non intretur, nam aut plures erunt, aut saltem una secundum morem studii Urbis. Et ut etiam omnium intellectus magis **excutiatur**, singulis diebus perfecto prandio proponat unus unum dubium et arguant duo uel tres una die, et totidem alia, et tempus illius disputationis quotidiane abbreviatur uel prolongetur secundum horam eundi ad lectiones.
30 Dubia autem preponenda si uoluerint quod unus theologorum in sua facultate una die proponat, et theologi aliis presentibus arguant, et sic faciant alia die canoniste, fiat sic, in nomine Domini. Si uero canoniste maluerint quod aliquis liber utilis eis de theologia, ut quartus liber sententiarum sancti Thome, uel prima secunde, uel secunda secunde eisdem quotidie
35 disputetur, et ipsi uelint arguere et respondere suis diebus, ordinent meliori et utiliori modo, quo eis uidebitur. Vt tamen utilior fiat talis disputatio quomodocumque sit, uolumus quod unus liber successiue totus disputetur quotidie, disputando unum articulum, quem modum nos etiam in presentia nostra inter nostros capellanos consueuimus obseruare, et de presenti
40 obseruamus, ex quo, ut nobis uisum est pro modulo nostro fructum percepimus.

(fol. 16r) *De collationibus et repetitionibus publicis faciendis. Cap. uicesimum quartum.*

Et ut predicti scolares audaciam sibi assumant loquendi per exercitium, uolumus quod sabbato ante primam dominicam mensis iulii, rector, congregatis omnibus scolaribus in capella siue in alio loco, ubi consueuerint conuenire ad consilium habendum, imponat cuilibet scolari unam collationem sermone latino faciendam in presentia omnium scolarium et capellanorum domus in capella dicte domus siue collegii in festiuitatibus sequentibus: primus in die apostolorum Simonis et Iude, secundus in festo sancte Catherine, tercius in festo sancti Nicolai episcopi, quartus in uigilia Natiuitatis Dominice, quintus in festo Epiphanie Domini, sextus in festo Purificationis Virginis, septimus in die sancti Mathie apostoli, octauus in die sancti Gregorii pape, nonus in festo Annuntiationis, decimus in Inuentione sancti Michaelis Archangeli, undecimus in die Dominice Ascensionis, duodecimus in die Pentecostes, tertiusdecimus in die Sancte Trinitatis, et si plures scolares fuerint apti ad hoc, assignet rector diem secundum quod sibi uidebitur melius conuenire. Volumus autem istas collationes sic distribui in principio iulii, ut ipsi scolares propter nimium estum illorum trium mensium, scilicet iulii, augusti et septembris, parcentes aliquantulum studio, habeant occupationem non multum eis onerosam et ualde perutilem, scilicet studere dictas collationes; ab hoc tamen onere nouellos, qui uel de scolis grammaticorum ad studia canonum uel de logicis ad theologiam transibunt, uolumus per triennium esse absolutos; si uero aliqui uenerint, qui uel in iure iam ante triennium alibi studuerint uel in philosophia et artibus operam (fol. 16v) dederint, tales minime excusentur. Si uero, Deo largiente, aliquis ex predictis scolaribus ad tantam perfectionem scientie peruenerit, ut uel coram summo pontifice uel alibi posset digne proponere uerbum Dei latino siue uulgari sermone, hortamur rectorem et consiliarios, ut non solum talem permittant, sed ipsi diligentissime locum pro illo procurent; nam ex hoc per exemplum bone actionis feruor studii predictorum scolarium innotescet et multum ad augmentum ipsius procurandum prouocabuntur et dabunt gloriam Deo afficienturque caritate et beneuolentia et ad fauorem ipsorum parati erunt. Et ut bonos scolares zelus honoris sui magis ac magis prouocet ad studium; desides uero futura eis uerecundia et confusio excitet a torpore¹³, uolumus quod quilibet ipsorum scolarium completo quinquennio in ipso collegio teneatur in sua facultate publicum actum facere repetendo siue disputando in ecclesia sancti Eustachii, ubi similes actus in Vrbe, siue in ecclesia Sancte Marie Rotunde **fieri solent**. Quod si quis predictum actum publicum ante quinquennium completum noluerit facere, utique faciat et permittatur sibi. Nullus tamen ultra quinquennium possit differire, nisi duobus mensibus a die terminati quinquennii fideliter computandis. Si uero aliquis tam ualens fuerit, ut non solum semel, sed bis, uel pluries huiusmodi

¹³ 000

actus facere uelit, permittatur sibi immo tanto carior collegio habeantur,
45 quanto magis laborare conatur pro optimo testimonio ipsius collegii nomine
et honore.

De legenda philosophia morali. Cap. xxv.

Et quia tam theologis quam canonistis ualde est utilis philosophia
moralis, a qua iura trahunt originem, uolumus, quod singulis diebus
Dominicis et festiuis, quibus (fol.17r) non legitur in uniuersitate, uel
5 magister in theologia, qui assumendus est a collegio uel aliquis idoneus
solaris qui fuerit, legat unam lectionem libri ethicorum Aristotelis et illo
libro completo legatur eius Economica et Politica, ad quam lectionem omnes
scolares conuenire habeant et si forenses uellent uenire, salua semper
honestate collegii, admittantur; si tamen huiusmodi doctrina in studio
10 legatur pretaxatis diebus, sufficet ire ad audiendum illuc, nisi aliquis ex
scolaribus uellet legere in collegio, qui pre aliis est audiendus ut ipse magis
proficiat; si uero quotidie in studio legatur, quia scolares multis lectionibus
uix uacare poterunt et audire lectiones festiuas nihil eis ualeret, nisi
intermedias audierint, tali casu disponatur taliter per rectorem et consiliarios
15 quod legatur in domo; de hora uero et loco ipsi, quod melius sibi uidebitur,
disponant.

De impedimentis studii uitandis que prouenire possunt ex uniuersitate studii. Cap. xxvi.

5 Ne forensium negotiorum occupationes possint esse causa distrahendi aliquem scolarium predictorum a studio uel a meditatione eorum, que sibi
10 incumbent circa profectum ipsius collegii, nullus ex dictis scolaribus in
15 generalem rectorem studii Romani aut ad aliud officium ipsius Vniuersitatis
possit assumi, et si fuerit assumptus nullo modo ipse acceptet, preterquam si
esset assumptus siue electus ad aliquam lecturam, utpote canoniste ad
lecturam canonum, theologus ad lecturam theologie; et si aliquis ipsorum
20 theologorum eligeretur ad lecturam logice uel philosophie, possit etiam
acceptare, quia tanto quis in theologia magis proficit, quanto in artibus
potissime in philosophia naturali, metaphysica et morali philosophia magis
se exercet. Si uero hoc eueniret, tales (fol. 17v) cum ipsis lecturis honorem et
decus prestant collegio et inde seruitium, uolumus quod a susceptione
officiorum dicti collegii, nisi cogat magna necessitas, eos deputandi sint
absoluti. Ita tamen quod de prouentu siue salario predictarum lecturarum
non eos tedeat collegio satisfacere, dando eidem quintam partem fideliter
computandam, quam rector et consilarii diligenter exigant. Monemus etiam
omnes et singulos scolares, quod cum contingat Vniuersitatem procedere ad
electionem rectoris uel alterius officialis dicte Vniuersitatis uel ad
supplicandum pro aliquo doctore ad aliquam lecturam deputando, quod
solum Deum pre oculis habeant iuxta puram suam conscientiam, et non
prece, pretio uel alia corruptela precedant.

De uitanda familiaritate mulierum et nimia participatione quorumcumque hominum et de uitandis ludis. Cap. xxvii.

Cum scolarium predictorum, qui persone quodammodo religiose censentur, honestati non congruat, quod cum mulieribus quomodolibet conuersentur, rector dicti collegii nullatenus permittat mulieres cuiuscumque conditionis aut etatis uel status in prefato collegio quomodolibet conuersari, intrare uel praticare nec eis uictum uel aliquid aliud de bonis ipsius collegii intus uel extra quacumque occasione dare, nisi mulieribus, que hostiatim mendicant, quibus ad hostium uenientibus elemosina dari possit. In casu tamen necessitatis pro custodia infirmi uel lotionem pannorum possit admitti mulier talis qualis adeo annosa, quod de ea nulla possit haberi suspicio. Ita tamen quod claustrum ipsum scolarium predicti collegii, quod est principale corpus domorum nostrarum a porta, que super scalas, nullatenus femina possit intrare, cuiuscumque fol. 18r) conditionis uel etatis existat. Similiter etiam ne ex nimia familiaritate forensium, ut frequenter contingit, scolares dicti collegii retrahantur a studio, nullus scolaris dicti collegii extra illud in prandio uel cena comedat sine licentia rectoris, nisi in casu quo aliquis aut cardinalis aut notabilis prelatus curie aliquem ipsorum scolarium ex tempore inuitaret nec extra collegium audeat pernoctare; etiam nullus forensis ad aliquod huiusmodi in collegio admittatur, nisi maxima urgente necessitate, et hoc cum licentia rectoris. Nullus etiam ex predictis scolaribus aliquo ludo intra uel extra collegium utatur, in quo interueniat lucrum uel quodcumque, quod numismate comparari possit, quia in talibus ludis, etiam si minima res sit, que ludo perdat, amor fraternus solet perdi et pax atque quies scolarium. Nec spectaculis intersint uel ludis, clericis honestisque personis prohibitis, se immisceant et generaliter omnia uaniloquia et maxime turpia, sicut pestem fugiant, quia secundum Apostolum corrumpunt bonos mores colloquia praua et ipse mandat, dicens uaniloquia deuita¹⁴.

¹⁴ 1 Tim. 2,16

De uagatione scholarium extra et intra urbem uitanda. Cap. xxviii.

Ne aliquem ex dictis scholaribus ex quauis simulata causa in dedecus
prefati collegii euagare contingat, nulli ex eisdem scholaribus extra generales
uacationes in dicta Vniuersitate studii Romani obseruari solitas ab ipso
5 collegio nisi in casu urgentissime necessitatis et de licentia rectoris et
consiliariorum absentare se liceat et temporibus illarum uacationum possint
post festum apostolorum Petri et Pauli secedere cum uoluerint, denunciato
tamen primum rectori et se absentare usque ad octauum diem octobris, ita ut
pro die sancti Luce, qua solent studia inchoari, (fol. 18v) omnes congregati
10 sint, nisi aut pestis aut alia aeris manifesta intemperies maius tempus
requireret illis dari. Quod si contingat, faciat rector et consilarii cum consilio
peritorum medicorum temporis prorogationem, que sibi uidebitur expedire.
In casu etiam maxime et urgentissime necessitatis aliquod tempus plus
15 instituto potest per rectorem et consiliarios concedi, non tamen quod excedat
spatium sex mensium, nisi fuerit propter manifestam infirmitatem scholaris et
talem, que uel ipsum in loco stare compellat uel domi residere, ita quod sine
periculo in collegio non possit manere. Et quia superius determinauimus
canonistis septem annos et theologis decem, nisi ante introitum collegii
20 philosophi forent, in quo casu septennio quoque eos uolumus esse contentos
ad manendum in predicto collegio. Nunc uero singulis annis tres menses a
festo Apostolorum Petri et Pauli usque ad octauum diem octobris pro solatio
indulgemus et tanto plus, quanto uel aeris intemperies uel periculorum
infirmitas aut priuata necessitas ugens exposceret, dubitari posset utrum
ista debeant, aut theologis cum suo decennio, aut canonistis cum suo
25 septennio numerari. Quamobrem nos declarantes intentionem nostram,
dicimus atque uolumus, quod predicti tres menses singulorum annorum in
numero annorum, quibus scholares in collegio manere habent, computentur.
Si uero propter pestem aut aliam aeris intemperiem uel priuatam
infirmitatem secundum modum predictum cogantur maiori tempore esse
30 absentes id tempus non computetur possintque suppleri post finem
septennii aut decennii. Sed ne alicui materiam uagandi et occupandi locum
in Collegio demus, uolumus, quod illi, qui propter priuatas quascumque
urgentes necessitates, infirmitatibus exceptis, (fol. 19r) de licentia rectoris a
collegio plus tribus mensibus uacationum iam determinatis absentes fuerint,
35 illud eis computetur cum suo tempore manendi in collegio, ita ut si per
annum aut plus uel minus steterint extra illud eis computetur in sortem.
Scholares etiam dum fuerint presentes, si quempiam eorum per Urbem uagare
contingat et negligere studium, rector teneatur ipsum primo exhortari et pro
experientia habenda sensibiliter sue emendationis, det sibi decem dierum
40 spatium. Quod si in sua uanitate et malo proposito fuerit perseuerans, in
presentia consiliariorum arctius eum reprehendat et rursus terminum sex
dierum pro sua emendatione sensibiliter cognoscenda sibi prestat. Et si
adhuc sine correctione permaneat, uocatus coram omnibus scholaribus
reprehendatur acriter per rectorem, reprehensione fulcta rationibus, reducat

45 ei ad memoriam tempus, quod inutiliter perdidit sine spe reparationis,
bonum quod pertingere posset si studeret, uerecundiam et confusionem
quas consequutus est, si in fine temporum indoctus reperiatur, furtum quod
committit comedendo bona collegii non solum preter sed etiam contra
intentionem instituentis et alia huiusmodi secundum gratiam a Domino sibi
50 concessam et sic eum prouocet ad uerecundiam et det ei pro ultimo termino
ad hoc ut reddat se emendatum sex dies, infra quos si se non emendauerit,
tamquam omnino corruptibilis et putrida caro secandus est et tamquam
scabiosa ouis a caulis segreganda, segregetur et omnino priuetur collegio
sine spe recuperationis, ne sua prauitate alios scolares inficiat.

De uagatione cappellanorum. <Cap.> xxix.

Cappellani nullatenus uagentur per ciuitatem, sed cum uoluerint domum exire ex aliqua causa utili uel (fol. 19v) necessaria, uadant cum ea honestate, qua presbiteros atque Dei ministros decet, si uero exire uelint recreationis gratia, hortamur et monemus, ut potius ad ecclesias et memorias sanctorum, quorum Rome magna copia est, quam ad plateas exeant, incedant cum habitu clericali honesto, oculos suos super custodia domus et scolarium ponant; ut sicut aliis ordine prestant, prestant etiam sanctitate et omnis honestatis et uirtutis sint exemplum. Extra Urbem uero non liceat eis exire sine licentia rectoris, quam nec ipse concedat, nisi pro euidenti et urgente necessitate et determinato tempore redeundi; habeant se ipsi duo capellani sicut fratres inter se alter alterius onera subleuando et aliis scolaribus sicut patres uerbo et opere eos in bonis moribus erudiendo.

*Tercia pars. De uictu et uestitu scolarium et de pertinentibus ad ista et primo
De uictu sanorum. Cap. xxx.*

Victum ipsorum scolarium uolumus esse omni sobrietate plenum, cum
hoc christianum deceat et maxime scolarem, quia cibo et potu inordinate
5 sumptis solet intellectus ingrossari, memoria perdi, imaginatio obtundi et
omnis penitus regio capitis, que studio deseruit, ab omni bona dispositione
efficitur aliena. Habeant ergo bonum panem, bonum uinum temperatum
aqua secundum discretionem rectoris, bonas carnes in qualitate, in quantitate
uero pro quolibet scolare in die unam libram carniū habeant. In prandio
10 uero singulis diebus bonum ferculum fiat. In diebus autem ieiuniorum
Ecclesie proportionabiliter prouideatur, ita ut secundum temporis
oportunitatem modicus excessus uel defectus, si fiat arbitrio rectoris, non
reputetur inconueniens, cum contingere possit, ut ea, que **fol. 20r** uno die
fuerint cara, alio sint bono pretio comparanda. In diebus uero ieiunii
15 uoluntarii cum quis ieiunare uoluerit, si quidem domi oua uel pisces seu
aliquid pertinens ad ieiunium fuerit, detur sibi, sin uero ematur sibi cibus
conueniens ieiunio loco porcionis sue, quam habiturus erat de carnibus, si
sic ieiunare uolens per noctem ante uel hora competenti id despensatori
denuntiet. Ob reuerentiam tamen et specialem letitiam festiuitatum
20 principalium anni sit in arbitrio rectoris dicti collegii augere in qualitate et
quantitate cibaria ipsorum scolarium, modeste tamen et secundum quod
deceat pauperibus scolariis et de elemosinis uiuentibus. Capellani et
magister si **fuerint** in domo simul cum scolariis comedant, equalem
habentes portionem in cibo et potu, prouiso tamen, quod omnino propter
25 memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi singulis sextis feriis scolares
omnes ieiuent aut aliquam notabilem abstinentiam faciant, ita quod de sero
non possint scolares nisi panem et uinum uel aliquod aliud, sicut in
collationibus haberi solet.

De honestate seruanda in mensa. Cap. xxxi.

- Ante ingressum mense capellanus, qui eadem die ex ordine sibi competenti missam celebrauerit, mensam in prandio et cena benedicat, nisi rector alteri delegauerit; sumpto uero prandio uel cena fiant gratiarum actiones, secundum morem Ecclesie Romane. Dum uero steterint in mensa continuum teneant silentium et unus scolarium a principio mense usque ad finem legat de textu sacre scripture, scilicet Biblie et sic faciant singuli per singulas ebdomadas successiue secundum tempus sue receptionis. Excusentur autem ab ista lectura rector et consilarii (fol. 20r) in anno officiorum suorum, similiter capellani et magister, alii uero omnes teneantur, cessante manifesto impedimento et notificato rectori. Peracto prandio et datis gratiis fiet disputatio, secundum quod superius ordinatum est. Volumus insuper quod super hostium refectorii sint scripti hi duo uersus, quos alias legimus beatum Augustinum scripsisse in refectorio fratrum suorum.
- 15 Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi¹⁵.

¹⁵ Augustinus

De coco et seruatoribus accipiendis. Cap. xxxii.

Rector autem cum consilio consiliariorum pro necessariis seruciis ipsius collegii conducatur unum cocum et unum subcocum et unum cannarium, qui simul gubernet penum et dispensam ac exeat ad plateam
5 ad emendum necessaria domus ac etiam alios familiares honeste fame et morum pro seruitio predicti collegii et scholarium eius. Numero uero, quot sibi et consiliariis et guardianis hospitalis predicti expedire uidebuntur; sed omnino provideant quod tantum necessarios et paucos conducant, quia dictum collegium solum ad sustentationem pauperum scholarium
10 institutum existit, propter quod etiam uolumus, quod nulli de predictis scholaribus uel capellanis, quacumque nobilitate uel gradu seu honore gloriatur, liceat propriam familiam habere, sed ut eorum seruetur honestas, uolumus quod seruitores omnes seruiant eis in necessariis, tam pro ipsis scholaribus, quam etiam pro capellanis, ut in portando libros et alia
15 necessaria in cameris et extra faciendo, que ipsi scolares pro se honeste nequaquam possent.

De portinario et hora claudendi portas. Cap. xxxiii.

(fol. 21r) Rector autem et consilarii predicti unum ex familiaribus dicti collegii deputent, qui portam custodiat debitis horis modo sequenti, uidelicet quod hora uicesimaquarta ipse pulset campanellam pro Aue Maria, qua pulsata, portas collegii claudat et claues rectori consignet. Nulli uero post illam horam exire uel intrare liceat sine causa rationabili et legitima rectori et consiliariis manifesta. De mane uero competenti hora aperiatur ianua et iterum ab hora prandii usque ad horam intrandi singulis diebus porta sit clausa, ita ut nulli exire liceat sine causa rationabili et legitima, uel intrare sine expressa rectoris licentia, quam dare non possit nisi ex legitima causa.

De quiete nocturna. Cap. xxxiiii.

Ordinamus etiam quod in loco dicti collegii ad hoc magis commodo per totam noctem stet lampas accensa, ut surgentes de nocte lumen accipere possint; pulsata autem uicesimaquarta hora, unusquisque in studio intra
5 suam cameram se recipiat, ibique per omnes continuum seruetur silentium omnesque strepitus cessent, tam tempore studii, quam dormitionis. Et quia studium matutinum utilius existit, in hyeme post festum sancti Luce scolares hora tertia noctis per sonum campanelle uocentur ad cenam, ita quod quarta
10 hora uel modicum plus retrahant se ad cameras et post quietem septem horarum pulsetur campana per unum de predictis scholaribus una hebdomada et per alium alia. Ita quilibet suam faciat ebdomadam, pulsata autem campana ibit per singulas cameras pulsando, quousque sibi respondeatur, ut a somno excitati ad studium surgant; post Pascha uero Resurrectionis (fol.21v) Dominice hora surgendi determinabitur per rectorem
15 cum consilio et consensu scolarium, que congruentior uideatur, ita ut septem horas ad minus possint dormire, licet etiam sex secundum consilium medicorum sufficerent et beatus Hieronimus consulit in nocte ter, quaterque surgendum¹⁶.

¹⁶ Hieronimus

De uestitu quantum ad formam et colorem Cap.xxxv.

Vestes autem ipsorum scolarium, que aliquo modo exterius uideri poterunt et etiam calige non erunt de rubeo uel uiridi aut giallo siue glauco colore, sed habeant superius uestem de statuto secundum formam, figuram et ualorem illarum uestium quas statutas uocant et habent scolares Bononienses; inferior autem uestis sit honesta, longa, quod ad minus cooperiat genu, caligas solutas non habeant, attendentes illud dictum Domini nostri Iesu Christi, quod qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt¹⁷. Cum ista igitur sit domus scolarium pauperum, non mollibus nec pomposis debet uti uestibus, sed honestis et necessariis.

¹⁷ Mt. 11,8

De infirmis et eis quos in collegio contingi diem claudere extremum. Cap. xxxvi.

Infirmis autem prouideatur in necessariis de consilio medicorum et uisitentur a sociis suis scolaribus et consolentur, cum de operibus misericordie reddituri sumus rationem in die iudicii. Ita ergo unusquisque
5 ad fratrem infirmum se habeat sicut uellet illum erga ipsum se habere, si eum contingeret esse infirmum, scientes quia omnis iustitie et uirtutis primum principium est et omnibus, natura dictante, manifestum: quod tibi uis fieri, alteri facias, et quod tibi non uis fieri, alteri non facias¹⁸. Si uero contingeret aliquem ita in sua infirmitate grauatum, (fol. 22r) ut secundum
10 consilium medicorum necessarium sit ei collegio exire, ut in aliqua domo extra collegium, in qua ei commodius seruiatur uel in domo paterna maneat, si fuerit Romanus, habeat licentiam et prouideatur sibi de collegio, secundum quod fuerit possibile, si tamen aliquid habeat uel parentes habeat aliquantulum potentes, exhortandi sunt per rectorem et consiliarios et si
15 oportuerit interuenientibus guardianis hospitalis, ut in aliquo onera collegii supportent et coadiuent in expensis, que circa huiusmodi fient; si tamen aliter fieri non posset, uolumus quod omnino taliter prouideatur infirmis, quod nihil desit de necessariis secundum consilium medicorum; si autem aliquem in dicto collegio uel extra, si propter infirmitatem fuerit deductus ad
20 aliquam domum, contingat uiam uniuerse carnis intrare, **rector capiat omnia bona sua, que collegio debent applicari et** ceteri scolares uadant ad sepulturam eius orentque pro eo tamquam pro fratre. Similiter etiam faciant circa illos quos mori contingeret Rome de illis, qui aliquando fuerant scolares dicti collegii. Si autem aliquem de capellanis uel seruatoribus, dum in
25 seruitio dicte domus manserint, contingat intra uel extra domum mori, similiter scolares sepulturam honorent et dicant pro eo missam defunctorum in capella et sic pro omnibus morientibus de dicta domo. Et ut sanis et infirmis prouideatur, placet nobis quod conducatur unus medicus et detur sibi aliquod compentens salarium, si gratis nollet facere, qui in necessariis
30 assistat.

¹⁸ Cf. Regula S. Benedicti c.61. MIGNE P(atres) L(atini) 215ss. Cf. Mt. 7,12; Lc. 6,31.

*Quarta pars. De administratione bonorum collegii et primo
de institutione procuratoris Cap. xxxvii.*

5 Item quod rector, et consiliiarii predicti, ne eorum studium propter
secularium negotiorum occupationes (fol. 22v) perturbetur, habeant
potestatem deputandi negotiorum gestorem, qui exeat ad possessiones et
curet, quod ille bene colantur per colonos et portionarios et si que sine
10 colonis et portionariis fuerint, illas laborari faciat et plantare, serere, et
seminare prout utile fuerit, fructusque colligat et collectos reduci faciat ad
locum prefati collegii, debita exigat et exacta dicto rectori consignet et alia
15 faciat, que in premissis et circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet
opportuna, dato negotiorum gestori huiusmodi pro suo labore salario
competenti. Qui negotiorum gestor iuret in manibus rectoris et
consiliiariorum predictorum bene et fideliter, sine fraude et dolo negotia dicti
collegii gerere, utilia facere et inutilia vitare, necnon omnia exacta per eum in
pecuniis, illis diebus, quibus ea receperit rectori prefato realiter consignare.
Et prefatus rector fructus collectos siue in granis, siue in bladis aut uino,
animalibus uel pecuniis, necnon debita exacta particulariter ad perpetuam
rei memoriam in uno libro conscribat.

De facienda capsula scripturarum et de modo tenendi scripturas possessionum ipsius collegii. Cap. xxxviii

5 Item quod in aliquo loco dicti collegii forti et tuto atque clauso ponatur una capsula fortis et bene clausa tribus clauibus, quarum unam rector, aliam
10 unus ex scholaribus per uniuersitatem uel a duabus partibus dicti collegii electus, tertiam uero guardiani prefati hospitalis teneant et custodiant, in qua quidem capsula reponantur et conseruentur omnia et singula priuilegia, instrumenta, iura et munimenta ac illorum registrum, de quo mentio fit inferius et distinguantur iura et instrumenta possessionum et reponantur in
15 singulis sacculis, ita quod unus sacculus distincte contineat (fol 23r) iura et instrumenta unius possessionis et alius alterius possessionis et sic de singulis et unusquisque sacculus habeat ab extra suam cartam, in qua contineatur et scriptum sit: In hoc sacculo continentur iura talis possessionis, sitque ordo, quod dicta capsula non aperiatur nisi facta propositione de aperiitionis causa et iurium inquisitione coram uniuersitate dicti collegii et
15 prefatis guardianis et tunc ipsi clauigeri conueniant ad ipsam capsam aperiendam et inquisitionem faciendam cum necessitas uel utilitas dicti collegii hoc exegerit.

De inuentariis librorum et rerum faciendis. Cap. xxxix.

Item quod in dicto collegio fiant et sint perpetuo tria inuentaria, in quorum uno scribantur libri diuinorum officiorum, calices, paramenta, ornamenta ecclesiastica et omnia alia ad capellam ipsius collegii pertinentia, necnon omnes libri in libraria siue armario eiusdem collegii consistentes pro tempore. In secundo priuilegia, instrumenta et littere, predia terre, domus, possessiones, census, prouentus et alia iura prefati collegii. In tertio uero suppellectilia et res dicte domus, que necessaria sunt tam in sala quam in coquina et aliis quibuscumque commodis seu locis dicti collegii, ubicumque posita et tam in domibus collegii huiusmodi quam in prediis et possessionibus extra eam, etiam si fuerint animalia cuiuscumque speciei, dummodo ad ipsum collegium pertineant et prefata inuentaria fiant in presentia omnium scolarium predictorum uel maioris partis eorumdem ac singulis annis, prima die mensis maii, audita prius missa, ipsis uocatis ad sonum campanelle ad locum ubi solet uniuersitas dicti collegii congregari, legantur publica alta et intelligibili uoce et ipsa inuentaria congruis temporibus renouentur, secundum quod continget bona dicti collegii augeri uel minui. Que inuentaria simul cum (fol. 23v) aliis iuribus in prefata capsam conseruentur. Si uero contigerit ex aliqua superueniente necessitate, oportere aliqua instrumenta uel iura prefati collegii extra ipsam capsam exponi et ostendi, et maxime in manibus extraneis, puta procuratoribus uel aduocatis, illa copientur et per notarium cause iudicis, coram quo questio uel causa uertitur aut per notarium aliquem fidum collationentur cum originali et ostendantur illis, quibus necesse fuerit et statim originalia reportentur ad capsam, ita quod, si possibile sit, originalia uel transsumpta de nocte non remaneant extra capsam, statimque scribantur in aliquo memoriali, notando annum, diem et mensem dicte expositionis ac nomina personarum et numerum instrumentorum ac etiam causas dicte expositionis. Et cum tempus fuerit sollicite requirantur et in suo loco reponantur.

De libris tribus faciendis in quibus tam possessiones quam fructus earum scribantur.
Cap. xl.

5 Item quod fiant, et sint tres libri, in quibus describantur uniuerse et
singule possessiones, domus, terre et predia ac uniuersi et singuli fructus,
redditus et prouentus ad dictum collegium pertinentes et nihil aliud in dicto
libro describatur, sed semper quoad alia maneat intactus. Alius fiat liber, in
10 quo scribantur rationes dati et recepti per rectorem dicti collegii et talis liber
fiat singulis annis et eo rector prefatus in reddenda ratione per eum
consiliariis et collegio prefatis de sua administratione utatur. Nec non tercius
de pergameno, in quo scribantur et registrentur per ordinem omnia et
singula priuilegia, littere et instrumenta ac alia quecumque iura ad dictum
collegium spectantia, ut ad ipsum pro copiis et informationibus, cum
opportunum fuerit, recurratur.

De conseruatione originalium scripturarum ipsius collegii. Cap. xli.

(fol. 24r) Item ad euitandum omne periculum perditionis originalium instrumentorum et aliorum quorumcumque documentorum prefati collegii, uniuersa et singula originalia, instrumenta, littere et documenta duplicentur, et etiam seruata debita iuris solemnitate transumantur, et cum fuerit necesse sic transsumpta et autenticata in iudicis producantur, originalibus semper manentibus in **archis** dicti collegii, duplicata semper ponantur in **archinis** sacristie ecclesie sancte Marie supra Mineruam, facta ipsius consignatione priori et aliquibus ex fratribus ipsius conuentus dicte ecclesie per publicum instrumentum, quod penes dictum collegium in eius **archinis** remaneat.

*De rebus domesticis quomodo per inuentarium de rectore in rectorem debent succedere.
Cap. xlii.*

5 Item rector dicti collegii statim post eius receptionem de omnibus rebus
tam mobilibus quam immobilibus ad prefatum collegium pertinentibus
inuentarium antiquum reuidere **et si opus fuerit aliud de nouo facere uel**
antiquum renouare et reformare teneatur, et illud usque ad finem officii sui
diligenter conseruare debeat. Ipse etiam rector tenebitur omnia illa, que sibi
consignata fuerint et tempore sui officii usu consumpta non extiterint, in fine
10 deminutione huiusmodi et eius causa mentionem facere ac plenam et
debitam rationem reddere.

De secunda capsula pro pecuniis et clauibus librorum et pignorum. Cap. xliii.

Item ordinamus quod rector et consiliarii dicti collegii cum consensu et consilio guardianorum prefati hospitalis eligant unum securum et fidum mercatorem in urbe Romana et eius districtu possidentem immobilia et apud
5 quem deponantur omnes et singulas pecunias obuenientes (fol. 24v) ex fructibus et redditibus dicti collegii et penes illum conseruentur, de quibus solum eas, que necessarie fuerint pro expensis dictorum scholarium et collegii successiue recipere possint ac etiam quod fiat et continue fit una capsula fortis et bene serata cum tribus distinctis clauibus, de quibus unam rector et aliam
10 unus ex consiliariis et tertiam unus ex scholaribus per uniuersitatem uel duas partes dicti collegii eligendus teneant et custodiant, in qua prefatus rector in presentia dictorum consiliariorum pecunias, quas ex banco mercatoris receperit uel aliunde retinuerit pro expensis, ut predictum est, reponat et conseruet. In qua capsula etiam pignora, que dimissa fuerint in dicto collegio
15 pro libris extra domum mutuo concessis conseruabuntur. Claues etiam, quibus libri in suis bancis cathenis ligati clauduntur, ita ut nec liber de libraria, si aliquando propter importunitatem alicuius magni uiri aliud fieri non posset, concedi debeat sine predictis tribus habentibus claues ipsius capse, nec similiter pignora dimissa.

*De locatione domorum siue aliarum possessionum collegii quod non fiat sine consensu
scolarum Cap. xlv.*

5 Item quod liceat rectori prefati collegii illius possessiones uel aliquam
earum cum presentia et expresso consensu dictorum consiliariorum aut
maioris partis eorumdem et guardianorum prefati hospitalis uel alterius
eorum locare ad tempus, de quo eis uidebitur, dum tamen non ultra
quinquennium, ad maius uero tempus illas locare non possint, nisi euidens
utilitas ipsarum rerum et possessionum ipsius collegii appareret; quo casu
10 ultra decennium nullo modo fieri possit; supradictas autem domus predia et
possessiones aut alia iura ad dictum collegium spectantia seu aliquod eorum
ubicumque fuerint, cuicumque persone in emphiteosim perpetuam
concedere seu (fol. 25r) locare nullo modo possint uel debeant et quidquid
in premissis secus factum fuerit, ipso iure nullum existat. Item singulis annis
15 cum domos et possessiones prefati collegii nouis fictalibus aut colonis locari
contigerit, sollicitudine et studio rectoris et consiliariorum ipsius collegii,
nomina et cognomina, situationes, loca et confinia domorum predictarum,
possessionum, fictalium et colonorum predictorum necnon quantitates
terrarum et affictuum et tempora locationum distincte et discrete in libris
20 rationum et possessionum huiusmodi collegii conscribantur, ita quod ad
notitiam cuiuslibet de ipso collegio peruenire ualeat.

*Quod rector teneatur de omnibus dare rationem scholaribus et de temporibus dandi.
Cap. xlv.*

Item quod rector singulis quatuor mensibus anni sui officii, uel alias, prout uniuersitas scolarium dicti collegii duxerit ordinandum, teneatur et
5 debeat, ipsi uniuersitati seu deputandis ab ea et guardianis dicti hospitalis uel alteri eorum interuenientibus, de omnibus et singulis introitibus eiusdem collegii, in quibuscumque consistant ac uniuersis et singulis expensis tam occasione culture possessionum prefati collegii et fructuum colligendorum, quam etiam uictualium et aliorum expositorum,
10 quorumcumque in dicto collegio et extra illud factis, illis omnibus et singulis in libris rationum dati et recepti, de quibus supra mentio facta est, seriatim et distincte scriptis uniuersalem rationem reddere, que ratio in fine cuiuslibet anni **omnino** concludetur et nullatenus differatur: et si tunc dictus rector ratione administrationis sue debitor dicti collegii repertus fuerit, infra
15 quindecim dies, a die conclusionis rationis huiusmodi continue computandum uel ad plus triginta dies uniuersum debitum ipsi collegio restituisse teneatur (fol. 25v) et debeat, alioquin ipsis quindecim uel ad plus triginta diebus elapsis, ab omnibus beneficiis dicti collegii tamdiu suspensus sit, quousque integre satisfecerit et interim uniuersa et singula bona sua stent
20 et esse debeant penes dictum collegium seu ab illo deputandum firmiter sequestrata. Item si, aliquibus annis post conclusionem rationis faciende per rectorem dicti collegii, ut premititur, factam, reperiantur introitus ipsius collegii superhabundare expensis eiusdem, id, quod superhabundauerit apud mercatorem et depositarium electum et deputatum, ut supra dictum
25 est, deponatur et conseruetur, ut, si opus fuerit, habundantia unius anni sterilitati alterius succurrat. Et si, Domino annuente, introitus in tantum abundauerint, quod hoc commode fieri poterit, ematur aliqua possessio seu aliquod predium in augmentum facultatum dicti collegii.

Quod pro defensione bonorum collegii uel conseruatione ipsorum ipsi scolares possint mitti extra Urbem quando hoc sit necessarium. Cap. xlvi.

5 Et si contingeret sanctissimum dominum nostrum papam esse extra
Urbem et pro defensione bonorum collegii uel aliqua causa ad eius
conseruationem necessaria requireretur, quod ad suam sanctitatem
mitteretur aliquis de predictis scholaribus, si ad hoc esset sufficiens, ille, qui
ad hoc fuerit per rectorem, consiliarios et scolares electus, teneatur ire datis
sibi honestis expensis de collegio, similiter etiam si esset necessarium ire ad
aliquem alium principem. Si tamen res talis sit, que per unum, alterum
10 quemcumque perfici possit, non impediatur scholaris nec a studio suo
retrahatur, prouiso tamen quod tempus predictum, quo scholaris pro negotiis
collegii extra collegium steterit, ei in septennio uel decennio non
computetur, sed illis finitis, per tantum tempus (fol. 26r) ultra stare in eo
possit.

*Quinta pars. De defectibus circa singula premissorum et de penis eorum et primo
Quod scolares non contra se inuicem litigent. Cap. xlvii.*

Vt autem saltem timore pene scolares predicti collegii instituta
huiusmodi nostra custodire conentur, si eis parere contempserint amore
5 uirtutis circa singula predicta, casus in quibus puniendi erunt scolares et
modum et formam atque quantitatem in sequentibus capitulis subiungimus.
Primo mandantes, quod nullus scolarium predictorum presumat alium
scolarem ipsius collegii coram forensi iudicio conuenire, sed tantum eum
conueniat coram rectore eiusdem collegii et ipsius consiliariis, qui presentis
10 statuti auctoritate iurisdictionem, potestatem et baliam habeant, tam in
ciuilibus quam criminalibus, ciuilitate intentatis iustitiam inter ipsos scolares
ministrandi, nisi forsan criminaliter ageretur aut alias negotium uel offensa
adeo graue uel grauis fuerit, quod altiori iudicio indigeret. Quo casu ad
Vicarium pape uel Auditorem camere, curia existente in Vrbe, recurratur, cui
15 presenti statuto auctoritate nobis per felicis recordationis sanctissimum
dominum nostrum papam Nicolaum quintum concessa, damus et
concedimus plenam et liberam potestatem et baliam reum constringendi et
iustitiam inter partes faciendi etiam usque ad carceres et quamcumque aliam
penam ecclesiasticam siue canonicam. Quicumque autem ex eis alium aliter
20 coram aliis, quam ut prefertur, in iudicium ciuile uel criminale tamen
ciuilitate intentatum traxerit, per duos menses sit priuatus omnibus beneficiis
collegii, etiam cohabitatione domestica, post quem terminum, si penituerit,
reducatur. Ita tamen quod ille interim aliquid aliud non committat, propter
quod ulterius puniendus sit. Si uero in causa criminali et criminaliter (fol.
25 26v) intentata alias et coram aliis, quam ut prefertur, ad iudicium euocauerit,
sit in perpetuum et sine spe reconciliationis priuatus a collegio et
inhabitatione eius et omnibus beneficiis eius. Condemnatus autem, si
predictis iudicibus et eorum sententie, que appellatione suspensa non fuerit
et in rem transiuerit iudicatam, noluerit obtemperare, priuetur collegio et
30 habitatione et beneficiis eius, quousque humiliter sententie promulgate sit
obedire paratus et obediat de facto. Si autem in sua pertinacia non obediendi
perseuerauerit quadraginta diebus, sit omnino priuatus collegio, habitatione
et beneficiis eius; et si quid habuit in collegio accipiatur per rectorem et
consiliarios et iuxta sententiam per alterum predictorum, scilicet per
35 Vicarium pape uel Auditorem camere, prolatam, satisfaciat iniuriato de
bonis suis uel pretio eorum, et cetera reddant sibi. Si uero post quadraginta
dies obedire uoluerit et redire ad collegium, pro pertinaci inobedientia
illorum quadraginta dierum soluat dicto collegio tres ducatos auri de
camera, nisi tanta esset eius paupertas, quod soluere non posset, in quo casu
40 dispensetur cum eo per rectorem et consiliarios quo ad pecuniam, faciat
tamen penitentiam in cibo et potu et modo illum sumendi ad arbitrium
reitoris et consiliariorum.

De defectibus circa ea que instituta sunt de diuinis honoribus et penis eorum. Cap. xlviii.

Si quis de predictis scolaribus, legitimo impedimento cessante, de quo rectori constare debeat, non iuerit ad missam diebus statutis ad sanctam Mariam in Aquiro, ut supra ordinatum est, tantum panem et uinum in prandio habeat et ultimus in mensa sedeat. Qui uero defecerit in processionibus, scilicet in die dedicationis (fol. 27r) Saluatoris et sancti Hieronimi, ne eius tristitia in istis festiuitatibus precipuis collegii alios contristet, non puniatur in mensa, sed soluat quartam partem unius ducati auri de camera et una die sibi per rectorem deputata non habeat in collegio nisi solum panem. Qui autem in missa in commemoratione defunctorum defecerit similiter et si quis in die anniuersarii decessus nostri non interfuerit, licet Deo et nobis ingratus existat, nolimus tamen quod propter ea puniatur, sed Deus misereatur sui et sue ingratitude indulgere dignetur. Si autem aliquis defecerit in sermone audiendo uel in capella uel extra collegium diebus institutis, si sermo factus fuerit ante prandium, careat ille die prandio, si uero post prandium, careat cena; dignum est ut careat cibo corporis, qui spernit cibum mentis. Qui in uigilia Natiuitatis Dominicae, in nocte scilicet Natiuitatis in officio matutinali et missarum duarum, sicut institutum est, in capella non steterit uel ad tertiam missam ad sanctam Mariam in Aquiro non iuerit, illa die propter gaudium Dominice Natiuitatis, sicut dicit beatus Leo: 'Non est fas dare locum tristitie, quando Natale est uite'¹⁹; sed postea diebus sibi assignatis per rectorem non habebit in prandio nisi panem et uinum et soluet collegio quartam partem unius ducati auri de camera. Si quis autem sacramentum penitentiae subire bis in anno contempserit, ut institutum est, uel sacramentum eucaristiae neglexerit suscipere, tamquam indignus et uere sapientie, cuius initium timor Domini est²⁰, inimicus, ab ipso collegio quindecim dierum spatio ter monitus, nisi paruerit, penitus repellatur. Si uero unum et eundem scolarem pluries in his predictis errare contingat, sit in arbitrio rectoris augere sibi penam; si uero omnino incorrigibilis uideatur, repellatur a collegio. Intelligimus autem supradictos defectus, siue quoscumque alios (fol. 27v) infrascriptos, tunc imputandos ad culpam et puniendos cum non interuenerit causa legitima, quam habeant discernere rector et consilarii; et propter euitandam murmurationem, uolumus quod si tempus habuerit et oportunitatem, scolaris sic impeditus petat licentiam a rectore manifestando ei

¹⁹ Leo Magnus papa

²⁰ Ps. 110,10; Pr. 1,7.

impedimentum suum; si uero potuerit petere et non petierit, puniatur ad arbitrium rectoris.

De peccatis commissis in libraria et penis eorum Cap. xlix.

Si quis nostre ordinationi inobediens intrauerit ad studendum in libraria de nocte uel de die cum candela incensa aut furtiue librum inde subtraxerit, siue partem eius siue aliquas cartas absciderit, aut quempiam forensem in ea
5 solum reliquerit uel clauem concesserit, siue scholaris sit, siue capellanus predicti collegii, ipso facto sit excommunicatus, a qua excommunicatione absolui nequeat, articulo mortis excepto, nisi per summum pontificem et insuper claue et introitu librarie priuetur, donec de damno illato, si forte fuerit, satisfaciat integre, ad quod eum uolumus esse obligatum et post
10 satisfactionem etiam non restituatur, nisi consensu duarum partium scholarium collegii. Preter eos, qui suadente diabolo, aut librum, aut partem eius furto subtraxerint, qui cum fuerint, aut testibus, aut confessione conuicti, omnino uolumus esse repulsos sine spe redeundi in perpetuum ad societatem predicti collegii. Volumus insuper, quod huiusmodi nostra
15 constitutio in una tabula descripta ponatur in porta predictae librariae et in alia intra librariam in loco eminenti, ut nemo eam ualeat ignorare. Qui dimiserit aliquem librum apertum, uidelicet sine clausoriis positus, si cognosci poterit quis fuerit, soluat decimam partem unius ducati auri de camera. Qui ianuam librariae apertam dimiserit, soluat quartam partem (fol.28r) unius ducati auri
20 de camera; si probabili negligentia librarii, aqua intrauerit librariam et aliquod nocumentum intulerit uel mures ibi nutriantur, qui aliquod nocumentum libris intulerint, damnum soluat et quatuor diebus non habeat a predicto collegio nisi panem et uinum, non tamen continuis, sed illis, de quibus rector decreuerit.

De peccatis commissis circa studium et penis eorum Cap. I.

- Si quis sine licentia rectoris assignata sibi rationabili causa lectioni in facultate sua non interfuerit, solum panem et uinum illo die in prandio recipiat uel in cena, si lectionem amiserit uespertinam. Qui uero
- 5 disputationi, que tenenda est post prandium, non interfuerit; soluat decimam partem unius ducati aurei de camera, sequenti die tota non habeat nisi panem et uinum de collegio tam in prandio, quam in cena. Si uero disputationem priuatam dimiserit, illa die, in qua erit secundum consuetudinem assignatam, soluat decimam partem unius ducati de camera.
- 10 Qui autem collationem sibi commissam non fecerit, illa die pro qua erit sibi commissam, quam nec possit alteri commendare, cum potius ipsius facientis utilitatem et exercitium intendamus, quam ipsam collationem, soluat duos ducatos auri de camera. Qui autem actum publicum infra terminum assignatum, ut supra institutum est, non fecerit, nihil recipiat de dicto
- 15 collegio, quousque faciat et si quis noluerit facere infra quindecim dies, tercio monitus repellatur a collegio: si uero uoluerit et differat, assignetur sibi terminus post terminum iam assignatum superius, infra quem nihil recipiat a collegio de pertinentibus ad uictum, et si infra terminum non fecerit, omnino repellatur extra collegium.

De peccatis commissis circa honestam conuersionem Cap. li.

Quicumque predictorum scolarium absque licentia rectoris (fol.28v) introduxerit aliquem forensem, cuiuscumque conditionis fuerit, ad dormiendum cum eo in collegio, soluat medium ducatum auri de camera; 5 qui uero aliqua inhonestate carnali quomodolibet fuerit maculatus, mox, ut ueritas fuerit cognita, que a rectore et consiliariis diligentissime perquiratur, per triduum in aliquo loco eligendo ad arbitrium rectoris includatur, in quo tantum panem et aquam habeat, et si tertio monitus non resipuerit, sine spe reductionis a collegio repellatur, que regula sit generalis scolaribus et 10 capellanis et seruatoribus. Qui aliqua die extra collegium comederit, sequenti die solum panem habeat et uinum; si uero extra dormierit, illa die tantum panem et uinum habeat. Rector autem huiusmodi delinquentes acriter reprehendat et si qualitas delicti exegerit, predictas penas cum consiliariis augere possit, prout uidebitur expedire.

De peccatis contra pacem et concordiam commissis et penis eorum Cap. lii.

Si inter ipsos scolares uel capellanos seu etiam seruitores, aliquis seditiosus reperiatur uel maledicus et inter fratres discordias seminans et trina uice monitus non se correxerit, de collegio expellatur. Super omnes autem malignitates diuine maiestatis blasfemie et sanctorum nullo modo tolerentur, quod si quis blasfemus reperiatur, bina uice commonitus, pro 5 tertia irremissibiliter repellatur, et ergo prima et secunda uice penitentiam faciat arbitrio rectoris; similiter etiam obseruandum est de temerarie iurantibus, a quo multum debent cauere, cum scriptum sit: Vir multum iurans replebitur iniquitate et a domo eius non discedet plaga²¹. Nulli etiam liceat manus uiolentas in aliquem de predicto collegio uel in quemcumque alium iniicere, secus autem faciens, per rectorem et consiliarios grauiter (fol.29r)reprehensus puniatur eorum arbitrio magis uel minus, considerata qualitate persone, quam offendit et quantitate offense et occasione, quam habuit offendendi; eodem autem modo fiat contra iniuriantes aliquos uerbis. 15 Nullus etiam de habitantibus in ipso collegio scolaris, siue capellanus, siue seruitor sit, audeat quouis modo publice uel occulte arma tenere uel offensibilia, uel defensibilia. Que si apud aliquem scolarem capellanumue fuerint reperta, perdant illa et uendantur, pretiumque eorum cedat in utilitatem collegii; si uero scolaris fuerit ipse, qui arma tenuerit, arbitrio rectoris puniatur; si uero seruitor, cogatur uendere uel extra domum apud aliquem amicum tenere, quod si omnino recusauerit, recedat a domo. Item si aliquos ex scolaribus prefati collegii inuicem rixari et ad contumeliosa uerba 20 precedere contingat, ita ut ex hoc non modicum scandalum et perniciosum exemplum oriatur, is, qui rixe primo causam dederit, uictu duabus ebdomadis priuetur, ac stet et maneat separatus in prefato collegio extra consortium aliorum ita, et taliter, quod de beneficiis dicti collegii ad esum et potum pertinentibus in prima ebdomada nihil percipiat; in secunda uero ebdomada panis et uinum ministretur eidem, preterquam in die ueneris secunde ebdomade, in qua, aliis scolaribus more solito in mensa epulantibus, rixator ipse in signum laudabilis penitentie panem et aquam manducet. Is uero qui prouocatus ab alio tamquam impatiens contumeliosa uerba iniuriantem protulerit quia minus deliquit, per unam ebdomadam uictu puniatur, ut illius exemplo alii discant uirtuti patientie assuefieri et seipsos non ulcisci, sed omnem correctionem rectori reseruare. Si uero rixantes contigerit uicissim uerba proferre, ex quibus infamia possit oriri, (fol.29v) ut puta si unus dixerit alteri furem uel adulterum existere uel aliquod aliud conuicium, de hoc rector dicti collegii diligenter inquiret. Et si per inquisitionem huiusmodi inuenerit uerba illa magis ex leuitate animi aut iracundie calore, quam ex ueritate processisse, iniuriam passum absoluat et iniuriantem puniat, ut sibi uidebitur conuenire. Si autem uerificauerit que dixit, ut sapiens iudex faciat iustitiam; cum autem ultra dictas iniurias

²¹ 000

uerborum ad iniurias etiam reales facti progressum fuerit, ultra penam per
rectorem collegii ei iuxta premissa infligendam absolutionem ab
45 excommunicationis sententia, quam pro his incurrerunt, obtineant et donec
delinquentes huiusmodi ab omnibus aut singulis predictis peccatis
beneficium absolutionis obtinuerint, de quo rectori et consiliariis constet,
pacemque inter se in presentia rectoris et consiliariorum fecerint, sint
50 collegio ac eius beneficiis priuati. Si uero iniuria tam sit atrox, ut ex ea
notabile scandalum ortum sit, iniuriam inferens, omnibus beneficiis dicti
collegii priuatus, ab illo repellatur ad minus per tres menses, et quod post
dictos tres menses numquam reintrare possit, nisi de consensu et libera
uoluntate iniuriam passi et consilio et consensu maioris partis scholarium
55 dicti collegii et guardianorum hospitalis supradicti; quod si ambo uel alter
eorum mandatis ipsius rectoris in supradictis contumaciter restiterint, post
trinam monitionem competentibus terminis factam a prefato collegio penitus
abscindantur et repellantur.

De peccatis specialiter puniendis in rectore et consiliariis ac clauigeris Cap. liii.

Si rector cum clauigeris, apud quos erunt clauēs capse pecuniarum et clauium librorum, in huiusmodi aliquas (fol.30r) pecunias de predicta capsā extraxerint, uel librum de libraria, uel aliquam possessionem etiam
5 conuenientibus consiliariis locauerint, preter aut contra formam et ordinem per nos superius capitulo quadragesimoquarto determinatis, locatio ipsa nulla sit et tam rector, quam ipsi, qui cum eo in hoc errore conuenerint, suis sint officiis priuati, et alii loco eorum ponantur, qui teneant regimen et
10 administrationem collegii usque ad tempora eligendi superius instituta. Et sic delinquens aut delinquentes sit obnoxius collegio in toto damno illato, quod si pro paupertate sua soluere nequeat, tantum sibi temporis a suo septennio uel decennio abbreviatur, quantum uerisimiliter iudicio
15 guardianorum predictorum reintegrando collegio de his, que illi percipere deberent satis sit, quilibet eorum obligetur collegio. De aliis uero omnibus et singulis, que rector scribere tenetur in libris communibus et de inuentariis, que agere debet de matricula, de rationibus dandis, de scolaribus corrigendis et de omnibus aliis, que ad suum spectant officium, si in aliquo defecerit,
20 puniatur ad arbitrium episcopi Reatini supradicti dum uixerit in humanis et post eius decessum Nicolai prothonotarii nepotis nostri supradicti et guardianorum hospitalis supradicti, possintque eum scolares cum omni modestia et honestate accusare.

De penis reciduentium et moderatione seruanda circa repellendos. Cap. quinquagesimum quartum

5 Si uero aliquis de predictis scolaribus pluries reincidat in idem peccatum, non retrahentibus eum punctionibus, sit in arbitrio rectoris in secunda uel tertia uice aggrauare penas, quod si his non obstantibus (fol.30v) omnino incorrigibilis uideretur, a collegio repellatur, habito tamen consilio guardianorum predictorum.

*Quid agendum sit de pecuniis penarum et de penis in uictu quomodo sunt intelligende
Cap. lv.*

5 Pecunie autem penarum reponantur in capsula penarum collegii sub
tribus clauibus, de qua supra habitum est et conuertantur, cum opus fuerit,
in utilitatem communem ipsius collegii. Nulli autem liceat ad mensam
communem cibum particularem adducere, sed contentetur quilibet de rebus
10 communibus, ne contristet fratres suos. Illis uero quibus pro penitentia panis
et uinum tantum danda sunt, non debet permitti aliud comedere in mensa
uel loco communi, quia non ideo alia sibi uentantur, ut collegium ea lucretur
sed ut ipse castigetur et uerecundia refrenetur, quod non fieret si sibi
liberum esset cibos suos ad mensam adducere. Illi uero quibus omnis uictus
negatur in penam, non ueniant ad mensam communem sed in cameris
comedant de propriis quod uoluerint, ut sic uerecundia et afflictione
castigentur.

De institutione gubernatorum et protectorum ac examinatorum et honoribus eis exhibendis Cap. lvi.

Et ut collegium ipsum sollertius atque diligentius conseruetur, hortamur atque rogamus prefatos magnificos conseruatores alme Urbis et
5 capita regionum ac guardianos hospitalis, quos superius protectores atque patronos instituimus, quatenus in die sancti Ioannis euangeliste singulis annis, si commode poterunt, sin uero una alia die infra octauam Dominice Natiuitatis collegium ipsum et singulas partes eius uisitent atque respiciant et que in eis corrigenda uidebuntur corrigant, que mutanda mutent, quibus
10 iuxta ordinationes et institutiones nostras predictas rectorem et consiliarios atque scolares omnes inconcusse uolumus obedire; mandantes eisdem quatenus singulis annis per duos aut tres dies ante festum predictum (fol.31r) rector cum aliquibus de ipsis scolaribus, de quibus sibi uidebitur, ipsos conseruatores adeat et priorem capitum regionum atque guardianos
15 prefatos eosque omnes requirant et exorent ad huiusmodi uisitationem faciendam eosque, cum uenerint, cum omni honore atque reuerentia suscipiant, dantes eis de omnibus, de quibus habere uelint, rationem et omnia, que domi sunt, eis ostendentes, eorum monita atque precepta firmiter obseruare procurent.

Reseruatio addendi uel minuendi ad statuta Cap. lvii.

Item quod omnia et singula reformata et ordinationes ac statuta
suprascripta et in illis contenta ab omnibus et singulis, quos concernit, siue
concernunt pro tempore sub penis et mulctis in eis contentis firmiter,
5 inconcusse et inuiolabiliter obseruari debeant etiam secundum ordinationes,
subtractiones, mutationes, correctiones, emendationes, declarationes et
interpretationes, si quas per nos uel post decessum nostrum per prefatum
episcopum Reatinum germanum nostrum cum consilio duorum aut trium
peritorum doctorum uel theologie magistrorum, in toto uel in quacumque
10 eorum parte iuxta exigentiam predictarum informationum presentium et
utriusque uerisimiles coniecturas fieri continget, super quibus nobis,
quamdiu egerimus in humanis dumtaxat, et nobis sublatis de medio, prefato
episcopo Reatino cum consilio, ut prefertur, auctoritatem et facultatem
reseruamus, sicuti secundum Deum pro incremento et subsistentia et salubri
15 directione status collegii huiusmodi, nec non commoditate, profectu,
decentia et utilitate personarum in illo pro tempore degentium, uisum fuerit
expedire.

De legendis statutis coram scholaribus bis in anno Cap. lviii.

Item ne aliquis dictorum statutorum et in eis contentorum ignorantiam pretendere ualeat, rector dicti (fol.31v) collegii ob illius utilitatem et obseruationem omnia et singula reformata statuta supradicta, secundum
5 additiones, interpretationes, diminutiones, subtractiones, correctiones et emendationes, circa illa uel aliquod eorum iuxta premissa, pro tempore faciendas singulis scholaribus, dum in collegio admissi fuerint, presentet et quilibet eorum eas omnes post decem dies a suo introitu in collegio legere teneatur ac insuper omnibus scholaribus simul in uno loco propter hoc
10 congregatis saltem bis in anno, uidelicet in die sancti Luce euangeliste semel et tertia feria post festum Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi semel, publice, alta et intelligibili uoce legat seu legi faciat, ita et taliter quod ad omnium et singularum personarum in dicto collegio pro tempore degentium plenam notitiam perueniant. Rector uero, qui contrafecerit uel negligens
15 fuerit in premissis, pro qualibet uice puniatur in uno floreno auri de camera.

De libris ordinationum istarum scribendis et de exponendis in loco eminenti Cap. lxviii.

5 Item quod reformata statuta predicta cum eorum additionibus, diminutionibus, subtractionibus, correctionibus, emendationibus, declarationibus et interpretationibus circa illa uel aliquod eorum, ut premittitur, pro tempore faciendis, scribantur in duobus libris de bona littera, in quolibet omnia statuta predicta, quorum unus ponatur cum cathena in libraria collegii, alius similiter cathena ligatus ponatur in capella. Ita quod
10 tam intrantes ipsum Collegium de nouo, quam illi qui in eo pro tempore conuersati fuerint, illorum noticiam et etiam copiam habere possint, ne postmodum, cum aliquis ipsorum uigore mulctandus seu puniendus aut ad aliquod faciendum compellendus sit, merito conqueri possit, quod (fol.32r) prius notitiam statutorum huiusmodi non habuerit.

Recommendatio ipsius collegii sanctissimo domino nostro pape, reuerendissimis dominis cardinalibus et aliis. Cap. lx.

5 Item ut collegium prefatum secundum temporum uarietates bonorum uirorum auxilio conseruetur in pacis et quietis amenitate ad Dei laudem et gloriam, uotiuus et prosperis iugiter proficiat incrementis, humiliter supplicamus et cum omni deuotione sanctissimo domino nostro pape et quibuscumque aliis summis pontificibus nec non reuerendissimis dominis cardinalibus, maxime summo penitentiario, pro tempore existentibus ac etiam rogamus et deprecamur et obnixè obsecramus prefatos conseruatores 10 et capita regionum alme Urbis ac prefatos episcopum Reatinum et guardianos hospitalis supradicti nec non Vniuersitatem et Collegium seu Collegia doctorum et magistrorum prefati Studii, quatenus memoratum per nos fundatum collegium cum suis suppositis ac iuribus et pertinentiis uniuersis pro tempore existentibus in remissionem omnium peccatorum, 15 quam nobis et eis omnipotens Deus misericorditer concedere dignetur, uelint habere fauorabiliter recommendatum.

Et constitutio illa septima, que iubet fieri commemorationem pro anima sua, seruari possit, est sciendum quod anima sua transiuit ex hoc seculo 20 anno Domini millesimoquadragesimooctauo de mense augusti, die decimaquarta, hora decimaoctaua sede uacante. § Anima uero fratris germani sui Angeli etiam cardinalis eiusdem tituli, episcopi tamen Prenestrini, ex hoc seculo migravit ad Patrem anno Domini millesimocclxxiiii, de mense iulii, die tertia, hora decimatertia, pro quorum animabus est Deus semper 25 exorandus, qui tanti boni extiterunt auctores, et precipue in dicto die obitus, ne ingrati collegiales uideantur. Anno 1478 sedente Sixto 4°, anno eius septimo.

(fol. 32v) (

- (fol.33r) Sequitur Tabula institutionum superius scriptarum.
 Prima pars de pertinentibus ad honorem diuinum
 Folio I
 De capella et eius regimine. Cap. i
 5 Folio II
 De residentia in propria parrochia ad diuina officia audienda. Cap. ii
 Fol. II
 De processionibus faciendis ad sanctum Ioannem et sanctam Mariam
 Majorem. Cap. iii
 10 Fo. II
 De uigilia Natiuitatis Dominice specialiter celebranda. Cap. iiii
 De ieiuniis ecclesiasticis persoluendis. Cap. v
 De sacramentis penitentiae et eucaristiae. Cap. vi
 Fo III
 15 De commemoratione pro anima nostra facienda. Cap. vii
 De sermonibus audiendis. Cap. viii
- Secunda pars de institutione studii et ordinatione scolarium studentium in
 tpsso collegio et aliis ad hoc pertinentibus.
 20 Fo IIII
 De ordinatione librariae. Cap. ix
 Fo IIII
 De librario singulis annis instituendo. Cap. x
 Fo. V
 25 De clauibus librariae et licentia intrandi. Cap. xi
 De modo studendi in libraria et licentia intrandi in ea. Cap. xii
 Quando et quomodo, et qualiter accomodandi sunt libri.
 Fo. VI
 De conseruatione librorum et multiplicatione eorum. Cap. xiii
 30 Fo. VII
 De presentatione scolarium et ordine praesentandi. Cap. xiv
 Fo. VIII
 De intimandis uacationibus scolarium presentatoribus et supplenda
 negligentia presentandi. Cap. xv
 35 Fo. IX
 Quibus scientiis possint studere et quos doctores in illis. Cap. xvi
 Fo. X
 De examineribus predictorum scolarium et etate et qualitate
 recipiendorum. Cap. xvii (fol. 33v)
 40 Fo. XI
 De tempore quo poterunt permanere in Collegio. Cap. xviii
 Fo. XII
 De electione rectoris et consiliariorum. Cap. xix
 De matricula conscribenda. Cap. xx

- 45 Fo. XIII De iuramento exigendo a rectore et singulis scholaribus. Cap. xxi
 Fo. XIII De ordine ipsorum scholarium et capellanorum inter se. Cap. xxii
 Fo. XV
 De lectionibus audiendis et de magistro in theologia suscipiendo et exercitiis
 habendis. Cap. xxiii
- 50 De collationibus et repetitionibus publicis faciendis. <Cap.> xxiiii
 Fo. XVI
 De legenda philosophia morali. <Cap. xxv>
 De impedimentis studii uacandis que prouenire possunt ex uniuersitate
 studii Romani. <Cap. > xxvi
- 55 Fo. XVII
 De uitanda familiaritate et nimia participatione quorumcumque hominum et
 de uitandis ludis. <Cap. > xxvii
 Fo. XVIII
 De uagatione scholarium extra et intra urbem uitanda. <Cap. > xxviii
- 60 Fo. XIX
 De uagatione capellanorum. <Cap. > xxix
- Tercia pars. De uictu et uestitu scholarium et de pertinentibus ad ista. Caplm.
 Fo. XX
- 65 De uictu sanorum. Cap. xxx
 De honestate seruanda in mensa. xxxi
 Fo. XX
 De coco et seruatoribus accipiendis. xxxii
 De portinario et hora claudendi portas. xxxiii
- 70 De quiete nocturna. xxxiiii
 Fo. XXI
 De uestitu quantum ad formam et colorem. xxxv
 De infirmis et eis quos in collegio diem claudere extremum continget. xxxvi
- 75 Quarta pars. De administratione bonorum collegii.
 De institutione procuratoris. xxxvii
 Fo. XXII
 De facienda capsula scripturarum et de modo tenendi (fol.34r) scripturas
 possessionum ipsius collegii. Cap. xxxviii
- 80 De inuentariis librorum et rerum faciendis. xxxix
 Fo. XXIII
 De libris tribus faciendis in quibus tam possessiones quam fructus earum
 scribantur. xl
 Fo. XXIII
- 85 De conseruatione originalium scripturarum ipsius collegii. Cap. xli
 De rebus domesticis quomodo per inuentarium.
 De rectore in rectorem succedere debent. xlii

- De secunda capsula pro pecuniis et clauibus librorum et pignorum. Cap. xliii
- 90 De locatione domorum siue aliarum possessionum collegii quod non fiat sine consensu scholarium. xliii
Fo. XXV
Quod rector teneatur de omnibus dare rationem scholaribus et de temporibus dandi. xlv
- 95 Quod pro defensione bonorum collegii uel conseruatione ipsius ipsi scolares possint mitti extra urbem quando hoc sit necessarium. Cap. xlvi
- Pars quinta . De defectibus contingentibus circa singula premissorum et de penis eorum.
- 100 Quod scolares non contra se inuicem non litigent. xlvii
Fo. XXVI
De defectibus circa ea que instituta sunt de diuinis honoribus et penis eorum. xlviii
Fo. XXVII
- 105 De peccatis commissis in libraria et penis eorum. xlix
Fo. XXVIII
De peccatis commissis circa studium et eorum penis. l
De peccatis commissis circa honestam conuersionem. li
De peccatis contra pacem et concordiam comunem et penis eorum. lii
- 110 Fo. XXIX
De peccatis specialiter puniendis in rectore et consiliariis ac clauigeris. liii
De penis reciduantium et moderamine circa (fol. 34v)
Fo. XXX
repellendos. liiii
- 115 Quid agendum sit de pecuniis penarum et penis in uictu quomodo sint intelligende et institutione carceris. lv
De institutione gubernatorum et protectorum ac examinatorum et honore eis exhibendo. lvi
Fo. XXXI
- 120 Reseruatio addendi uel minuendi ad statuta. lvii
De legendis statutis coram scholaribus bis in anno. lviii
De libris ordinationum istarum scribendis et ponendis in loco euidenti. lix
Fo. XXXII
Recommendatio ipsius collegii sanctissimo domino nostro pape, dominis cardinalibus et aliis. lx
- 125 Scholares absentes non admittuntur ad optionem cammerarum pag. xviii (manu posteriori)
- 130 fol. 35r
1669

	Scholares quos fundator uult esse num.º [...] debent presentari ut infra. Vnde certus numerus colligi potest ex cap. 14 Const., pag 7	
	Episcopus Firmanus presentet unum	nº 1
135	Episcopus Anconitanus unum	nº 1
	Abbas de Septimo unum	nº 1
	Epus Reatinus dum in humanis uixerit fundatoris germanus cui succedit eius nepos Nicolaus sua uita durante	nº 1
	DD de Columna de Genazzano duos	nº 2
140	DD de Columna Laurentius et Stephanus de Preneste unum	nº 1
	D. Jacobus de Columna filius quondam Antonii unum	nº 1
	D. Iulianus fundatoris germanus unum	nº 1
	D. Antonius filus quondam Ioannis germani fundatoris unum	nº 1
145	D. Agabius filus quondam Bartolomei germani fundatoris unum	nº 1
	Item regiones urbis. Regio Columne duos	nº 2
	Regio Triuii duos	nº 2
	Regio Montium duos	nº 2
150	Regio Pinei duos	nº 2
	Regio Campi Martii duos	nº 2
	Regio Campitelli unum	nº 1
	Regio Pontis unum	nº 1
	Regio Trastiberis unum	nº 1
155	Regio Ripe unum	nº 1
	Regio S. Angeli unum	nº 1
	Regio Regule unum	nº 1
	Regio Parionis unum	nº 1
160	Regio S. Eustachii unum	nº 1
	Regio Burgi tempore fundatoris non extabat; at modo unum presentat: at uero ista regio numerum predictum iam non auget, cum Episcopus Reatinus unum presentat solum uita sua durante. Numerus ergo scholarium Almi Collegii Capranicensis erit	nº 29
165	(fol. 35v) Vnde cum Regio Burgi tempore fundatoris non extaret et episcopus Reatinus non posset presentare nisi uita durante eiusdem episcopi germani fundatoris § ac proinde morte eiusdem episcopi talis presentatio expirauerit § sequitur mentem fundatoris fuisse ut scholares collegii Capranicensis essent numero uigintiocto, quibus tamen postea ex tacito consensu fundatoris alter Regionis Burgi de nouo evo/// addi; et ita tandem scholares inuariabiliter futuris temporibus post mortem prefati episcopi Reatini erunt uigintinouem xxviii non erit tamen contra eiusdem fundatoris mentem eundem scholarium numerum augere, si facultates ac	
175	redditus ad plures alendos suppetant	

P(re)s(biter) Paulus Lollus R(ector) A(nn)o 1669